CENTRALE V.E. II

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 I
h 19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

72 72
c d
17 51

725.17

12
19
e
44

LAVR.

IOVBERTI

VALENTINI DELPHI-
natis Regii Medici & apud Mõſ-
pelienſes Profeſſoris clariſsimi

*MEDICINAE PRA-
ctica priores libri tres.*

Ex legato D. Laurentij de Rubeis



Apud Ioannem Gregorium.

M. D. LXXII.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESU
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Clariſs. V. D. L. Ioberto Medico, A. F.

Cùm dixit Medicũ πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων
Mæonij quondam Muſa perita ſenis,
Olim venturum, venturi gnara, Iobertum
Vidit: & , hic multis par erit vnus, ait.
Sed mihi vos manes, & magni Muſa poëtæ
Parcite: nã cunctis hunc puto honore parẽ.
Nã qui cũcta vnus nouit, ſcribítq;, docétq;,
Omnibus æquandum quis neget eſſe viris?

Idem in notationem nominis eiuſdem D. L. Ioberti.

Credebam penitus dediſſe Phœbum
Ortum, artémque tibi ſuam medendi:
Quam bellè facis, & doces diſertè,
Doctè & perpetua notas papyro.
Et nunc credulus id nimis putarem,
Ni me nominis admonere contrà
Cœpiſſet ratio tui: IOVE ORTVM.
Quæ ſignat, IOVIS ARTE *& eruditum.*
Eſt ergo pater & tibi magiſter
Summus Iuppiter, eſt Apollo frater
Et clara ſocius medendi in arte.
Et ſecreta tibi ne[illegible] minum,
Quæ tu voce docens, manúque ſanans,
Et ſcribens, aliis dares deinde?
Hoc ORTVM IOVE, *Phœbæumq; fratrẽ*
Ac artis ſocium decebat vnum.

A. Faius

CLARISSIMO VIRO D. IO. MASILAEO, AMPLISSImo Chriſtianiſs. Galliarũ Regis Cõſiliario & Ἀρχιάτρῳ digniſsmo, I. Antonius Saracenus. S.

PRæclaris ingeniis obſtãt plerunque, vir ampliſſime, inuidorum quorundam & maleuolorum hominum obtrectationes, quominus ſcripta ſua proferant in apertũ, quæ alioqui haud mediocriter eſſent in commune profutura: atq; inde ferè fit, vt & impia fraus vtilitati publicæ inferatur. Sunt enim hodie nõ pauci, imò verò quàm par foret plures ex omni maleficio ita quaſi cõflati, vt nihil quicquã ſit iis antiquius quàm vt nõ ſine magno ſtudioſorum omnium detrimento integerrimos quoſque ac ſpectatæ probitatis probatiſſimæq; fidei viros, ſi qua fortè dent in manus hominum, plagij ſuſpicione aliáve infamiæ labe aſpergendi vel leuiſſimas vndique captent occaſiones. Hoc ipſum cùm ſatis animaduerteret ſummo vir ingenio omníque obſeruantia mihi colendus Præceptor D. Ioubertus, perſuaderi hactenus nunquã potuit, vt opuſculum hoc ſuum totius Medi-

cinæ practicæ velut exordiũ aliter quàm in Scholis publicè dictãdo euulgaret. Scilicet haud ignorabat fore cõplures id gen⁹ alienæ laudis inuidos & obtrectatores, qui hæc ſe è Rondeletij ſcriniis cõpilaſſe atq; adeò ſibi ipſi falſò aſcribere nimiùm impudẽter aſſererẽt: non alio tamẽ manifeſtæ calũniæ quæſito prætextu, quàm quòd penes Ioubertum eſſe norint opera Rõdeletij omnia, quorum in publicũ edendorum illi cura ſit codicillis ab Authore ipſo delegata. Quàm verò interim infirma illa omnia, quámq; falſa ſint vel ex hoc vno palàm eſt, quòd libellus hic ante Rõdeletij obitũ cœptus eſt dictari, eiq; iam tùm ſuprema manus erat impoſita, cùm Rõdeletij ſcripta D. Iouberto crederẽtur: quẽ tanquã teſtis oculatus ipſe planè ſcio nunquã priùs ea voluiſſe recipere, q̃ paginæ ſingulæ per indicem ſigillatim recognoſcerentur. Sed quid opus eſt pluribus? quaſi verò non cernat facilè quiuis hoc libro potiſſimùm agi de febribus: eiuſdem verò argumenti tractatũ quẽ compoſuit Rondeletius pridem eſſe in lucem editũ? Cuiuis liberum atq; in prõptu eſt libros hos inuicem conferre, & quantũ verbis, rebus, ordine ac methodo diſcrepẽt inter ſe, diiudicare. Vt vt ſit, quantũuis magno ſtudio rogatus adduci nunquã potuit Ioubertus, vt ſuæ Practices

partem

partem vllam emitteret, quin Rōdeletij opera prius exierint in lucē: quod quò citius fiat, omni ſtudio, omni cura & induſtria elaborat. Etſi enim variis negotiis publicis priuatiſq́; impeditus vix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poteſt, idipſum tamen quod datur ſucciſiui tēporis quantuluncunque lubēter iis recognoſcendis totū impendit. Vſqueadeò cupit quod nobis graues cōmunium tēporū variiq́; caſus attulere detrimentū & incommodū opera diligētiáque ſua ſarcire, vt ſui ipſius ſuorúmque penè oblitus datam fidem præſtare nihil dubitet. Interim inexorabilē adeò cùm viderēt nōnulli, cōpertúmq; haberēt opuſculū hoc à ſtudioſis quāplurimis magnoperè deſiderari qui exſcribēdi tædio leuari percuperēt, idipſum inſcio authore publicare decreuerāt, iamiámque moliebātur. Ego verò tum priuatim à pluribus aliis obnixè rogatus qui penes me eſſe emendatiſſimū exēplar arbitrabantur, vt qui & cùm hæc dictarentur & iam anteà bienniū totum Iouberto & præceptore & conuictore vſus eſſem perquàm familiariter, tum alioqui cōmunis omniū vtilitatis ſtudio incenſus, tum & Iouberti exiſtimationi pro eo ac debui cōſulere conatus, illos omnes anteuertere non dubitaui: ne aut vtilitati publicæ inuidiſſe, aut iniunctū mihi laborē defugiſſe viderer.

Caterùm negotiũ eò ſuſcepi alacriùs, quòd perſuaſum erat fore vt conſiliũ hoc meũ minùs agrè feret Ioubertus, ſi modò (quod qua potui diligentia præſtiti) vt quã emendatiſſimus liber exiret in lucẽ operam omnẽ darem: ne fortè in alienis culpis vllatenus illius offenderetur exiſtimatio. Quòd ſi tamẽ ſuccenſeret Ioubertus, facilè placatum iri veniamq; daturum non deſperabam, propoſita vtilitate publica demonſtratiſque variis amicorũ efflagitationibus & quaſi expoſtulationibus. Sin tandẽ ſummo iure mecũ agere vellet, ſpem reliquã, vnicum perfugium præſidiúmque meum in teipſo, vir ornatiſſime, collocaueram, ſperaverámq; te vnum Medicinæ principẽ quémque Ioubertus vnicè diligit & obſeruat fore mihi authorẽ idoneum euentúmque omnẽ præſtiturum, vt cuius etiã vnius ſingulari fauore ac patrocinio hoc ipſum ſim aggreſſus. Neq; verò eram ignarus, ſi meum hoc conſilium tibi vtcũque probaretur alitérve gratũ eſſet, Iouberto quoque ipſi fore nõ ingratũ. Denique & audaciam meã reprehendi & periculi aleam omnem ſubire malui, quàm cõmittere vt diutius ſupprimeretur quod pleriſque multis profuturũ foreq; acceptiſſimum animaduerterã. Attamen meã ſi qua foret culpã eò futuram leuiorẽ duxi, quòd hac in parte tum diſertiſs. peritiſſimiq; Iuriſprudentiæ

Iuriſprudētiæ Doctoris & apud Valentinos Profeſſoris Enimundi Bonefidij, tum etiam contubernalis olim noſtri iucundiſſimi Io. Poſthij Germershemij Medici ſolertiſſimi ac Poëtæ eximij exēpla ſum imitatus: quorū ille pridem Iouberti Paradoxorū priorē decadem inſcio authore publicauit, hic eiuſdē authoris opuſcula varia nuper incōſulto eodem emiſit in lucem: & cognoui tamen Ioubertum vtriuſque conſiliū grato animo ac mitiorem in partem interpretatum eſſe: vnde magna me ſpes tenet in mea cauſa idem etiā eſſe facturum. Supereſt, vir eximie, audaciæ meæ tua vt ignoſcat humanitas, qui hac arte in tuā notitiam irrepere contēderim. Hāc etſi fore mihi olim iucundiſſimā fructuoſiſſimámque confido, omniáque mihi de te ſumma promitto: tamē non tam huius ſpei expectationiſque magnitudine vt id facerē ſum impulſus, vti neque dignitatis gradu quem ſupremū tuiſque virtutibus meritum debitúmque obtines, quàm iis ipſis eximiis atq; ſummoperè admirādis dotibus quas in te partim omniū celebri fama cognoui, partim omni laude cumulati celeberrimique viri D. Iouberti quotidianis de te ſermonibus: qui quidem in hominū cœtu, omni loco ac tēpore non modò ſingularē tuam eruditionem, ſed etiam prudentiam incredibilem cum ſummá

probitate cõiunctam,diuinũ ingeniũ, pietatem inſignẽ,comitatem admirabilem ſuauiſſimóſque mores ita prædicare ſolet,vt illius animo tui vnius memoria infixa penitus eſſe videatur. Nec mirum ſi terminum ipſe non ſtatuit laudes tuas vbique celebrandi, cùm tu finem facere neſcias laude digna præſtandi:dum vltrò teipſum præbes ægris & diligentẽ Medicum & benignum patrẽ,eorúmque affectibus omni ſtudio mederis,inopibus ſumptum adiicis medelarum,eloquentia tua conſolaris afflictos, confirmantiáque ad ſalutem verba profaris , in officiis amicorum anteuenis , occurris deſideriis ſingulorum, omnia denique agis indefeſſè , benignè, pietate maxima , oſtentatione nulla. Nam illud quid attinet commemorare , nullum omnino doctrinæ genus eſſe, in quo non ſis exquiſitè verſatus, nullam diſciplinã quam non ad vnguem perdidiceris , & ita perdidiceris vt in vna qualibet ſola laboraſſe videare? Quid quòd honeſtiſſimus ampliſſimúſque locus is quẽ in Gallia noſtra tenes, quíque nõ niſi ſpectatæ probitatis expertæq; viris induſtriæ decerni conſueuit,per ſe ſatis admonet,te vnum viſum eſſe dignũ qui Medicinæ primã laudẽ apud noſtros obtineres. Nam vt Medicos quibuſcunque tanti Regis ſalus cõmittitur cæteris ferè omnibus lõ-

ge

go interuallo antecellere iiſque præferri conſentaneum eſt: ita multò magis qui his ipſis præfertur, quidni non collegis modò, ſed omnibus in vniuerſum Medicis tanquã peritiſſimus ſolertiſſimusq́ Ἀρχίατρος anteferatur? Scilicet (quod citra aſſentationis ſuſpicionẽ dictum velim) qui te vltrò non ambientem tantis ornauit honoribus, quique ſecundùm Deum penes te potiſſimùm vitã ſalutémque ſuam depoſitam eſſe voluit, vt nõ ignorabat tuis te virtutibus & ornamentis dignitati quam tibi deferret plurimum dignitatis allaturum: ita & magnam neq; inanem ſpem animo concipiebat, fore te ſibi Æſculapiũ alterum, qui valetudinem ſuam diligenter curares omnique ope ſuſtentares. Equidẽ diu multúmque dubitaui cui potiſſimùm gratulari deberẽ, tibíne cui tanta dignitas neque petenti neque cogitanti contigerit, an Regi ipſi qui tam præſtantẽ Medicum nactus ſit, quique tantum Cõſiliarium & iam ſecũ habeat & ſit impoſterũ habiturus: an verò mihi ipſe gratuler, qui in ampliſſimis tuis honoribus (quibus te ſemper digniſſimũ præſtitiſti) magnum mihi emolumẽtum repoſitum eſſe confidam. Plura non attingam: tum ne ſi laudes alias quantumuis ſtudioſè perſequar ipſi ſuccumbam materiæ, vel quæ varia ſunt in te bona tãquam affectata laudare videar,

tum ne blanditiis & aſſentationibus (à quibus ſemper abhorruit animus) tuã videar nonnullis aucupari gratiam. Adde quòd non ſum neſcius, quãtoperè vir omni laude ſuperior prædicatione ſuarum virtutum offendatur. Cæterùm, vt ſemel dicam, hæ virtutes omnes vti me iampridem ad te amandum inflãmauerant, ac ita inflãmauerant, vt iam tùm me meáque tibi addicere & in te ſtudiorum meorum partem meliorem conferre ſtatuiſſem, ita nunc quoque eò vehementiùs accenderũt vt in tuorum numerũ aſcribi vehemẽter arderẽ, tibíque quàm cõmẽdatiſſimus eſſe percuperẽ. Vſqueadeò facit virtutis opinio, vt eos & admiremur & vnicè diligamus, in quibus ea ſumma ineſſe videatur. Equidem cùm in te omnia ſumma diuináque ſuſpiciam multúmqne abeſſe me non neſciam à virtutibus iis quas in te ſummas ſplendidiſſimáſque agnoſcũt omnes: de me nihil affirmare poſſum niſi hoc vnũ, ſi me in tuis reponere dignatus fueris, traditurum me tibi hominem tui & ſtudioſiſſimum & obſeruantiſſimum: parum quidem eruditũ, eruditorum tamen candidiſſimum admiratorem: haud ita magnæ exiſtimationis virum, attamen apertũ atque ſincerum, quíque & ſeipſum quantus quantus eſt & quicquid opella ſua præſtari poterit tibi quàm lubentiſſimè deferat. Atque etiam nunc cùm apud me cogitarẽ, quo potiſſimùm

mùm

mum officij aut gratitudinis genere hanc meã erga te voluntatem, fidem, obſeruantiam & in officio præſtando integritatem nouo hoc ineunte anno teſtatam facerem, mihi viſum eſt aptius conuenientiúſque nihil quàm vt eius qui te nõ amat modò, ſed & obſeruat ſingularíque beneuolẽtia proſequitur opuſculum hoc nomini tuo inſcriberẽ. Etſi enim Authoris huius ſcripta commendatione vix vlla egere cuiuis exploratum ſit, his tamen nominis tui authoritatem maximè ſi quicquam aliud vitam, id eſt, famam daturum eſſe mihi non fruſtrà perſuaſeram. Neque verò eram neſcius nõ potuiſſe me iſthæc cuiquã inſcribere qui te ipſo foret Authori charior & acceptior. Huc acceſſit, quòd vel inſcriptionem ipſam perſuaſum habebam tantum efficere poſſe vti meum Iouberto conſilium probaretur: vt qui te, ſi poteſtas fuerit ex omnibus eligendi, vnum ſibi vindicem, propugnatorem, patronum atque defenſorẽ ſemper elegerit. Quòd ſi quæ rudiora, impolita magis nec ita examuſſim & ad vnguem elaborata videbuntur, vti ab Authore ipſo excoli atque perpoliri potuerunt, id ne tam feſtinationi meæ quàm propè importunæ amicorum efflagitationi qui hæc à me vixdum relecta de manibus extorſerunt tribuas velim. Hæc ipſa, ſcio, politiora perfectioráque ab ipſo Authore tandem aliquando proferentur, ſed vix tam

citò. Sin quæ interim occurrent παράδοξα opinionique communi repugnantia, qualia ſunt longè plurima Iouberti figmenta: ea omnia, vt & tradendæ Practicæ ordinem hactenus inſolentem, inuſitatum primáque fronte alienum pro tua humanitate toleres atque perferas etiam atque etiam velim. Nam quid, quæſo, fuerit ineptius ac libero homine indignius, quàm quæ ab aliis abundè iam ſunt pertractata tantummodò repetere & quaſi tranſcribere, nihilque de ſuo docere? Ioubertus μεταγραφέος cognomen refugit meritóque reſpuit, neque (quod faciunt non parum multi) pleriſque vnum in locũ coactis Scriptoribus quod quiſque commodiſſimè præcipere videtur exſcribere & ex variis ingeniis excellentiſſima quæque libare contentus eſt: ſed quæ ſuo ipſe Marte excogitauit ea demùm ita docere vult, vt interim variis probatiſſimorum quorúmque Scriptorum ſententiis confirmet atque ſtabiliat: quo quid poſſit eſſe laudabilius? Porrò hæc ipſa, qualiacunque ſunt, tuis cœpta auſpiciis ſub ampliſſimi nominis tui ſplendore in hominũ manus venire, tuóque patrocinio ſarta tecta prodire patiaris, méque interim & omni liberes infamia & in clientelam tuam beneuolè recipias vehementer abs te peto omníque ſtudio contendo. Sed quid te tam multis obteſtor & obſecro? certus ſum: quodcunque

Iouberti

Iouberti ſcieris & amabis, & laudabis, & defendes. Quare quod vnum reſtat, vir eximie, rogabo Deum opt. max. ſalutis omnis vnicum authorem, vt te nobis Chriſtianiſſimóque Regi noſtro quàm diutiſſimè ſoſpitem & incolumem eſſe velit. Datum Lugduni Kalend. Ianuar. M. D. LXXII.

CANDIDO LECTORI. S.

PLerique omnes practicę Medicinę Scriptores in tradenda particulari medendi methodo methodũ omnẽ, docendis fœliciter artibus ſiquid aliud maximoperè neceſſariã, neglexiſſe videntur. Nam quę vera & vnica eſt tradendarũ artium Methodus ab vniuerſis ad particularia progredi debet: ſiquidem eſt neceſſe (inquit Ariſt.) aut vniuerſa priore loco dicere, aut eadem ſubinde fruſtrà nec ſine maximo Lectorum tędio repetere. Vniuerſa verò ea dico, quę pluribus inſunt cõmunioráque ſunt. Illi porrò dum contrariam planè viam ineunt, dúmque facilè breuitérque tradendę Medicinę accõmodatam diſpoſitionem (quod pace illorũ dixerim) omnino peruertunt: tantum abeſt vt doceãt, vt contrà non mediocriter diſcentium ingenia & onerent & perturbent. Nanque, verbi gratia, cùm ſat foret vno capite phlegmones curationem percurriſſe, quídque partium quibus inſidet varietas in ea variandum eſſe ſuadeat paucis adieciſſe: illi quinque & viginti aut triginta prolixis capitibus vix ſibi ſatisfaciũt: dum oculorum, aurium, meningum, vuulę, mammarum, pulmonum, coſtas ſuccingentis tunicę, he-

patis,lienis,renum,veſicę,vteri & articulorum,ſingularum denique partium inflãmationem ſigillatim perſequuntur,proindéque toties eandem cantilenam canere,nempe in ſingulis victus rationem eandem inculcare, de infuſis potionibúſque purgantibus iiſdem ac eodem phlebotomiæ genere ſubinde agere coguntur: quibus in omnibus non ſine ſtudioſorum detrimento tempus temerè falli, imò verò fruſtrà teri quis non videat? At verò Ioubertus vt alia multa alibi, ita & hoc loco genuinam atque commodiſſimam tractandæ Practicæ methodũ reſtituere nititur, vt ne retardet, quin iuuet potiùs ſtudioſorum ſtudia qui ſeſe ad Medicinam faciendam accingunt: atque adeò cęteris Practicis vſitatas repetitiones ita vitat, vt interim apertè & compendioſè doceat quod illi ſi non obſcurè, at certè prolixiùs erant proſecuti. Fuit & hac ratione Author ad immutandã tritã illam docẽdi viã impulſus, quòd rationi conſentaneũ videbatur vt eadem methodo doceretur morborum ac ſymptomatum curatio, qua eorundem eſſentiam addidiciſſemus. Porrò tria ferè ſtatuuntur morborum prima ſummáque genera: intẽperies, organicarum partium praua conſtitutio & continui ſolutio. Horum vnumquodque in inferiora alia genera diuiditur: intemperies quidem in ſimplicem & compoſitam, quarum rurſus vtraque quadruplex eſt: praua verò cõſtitutio in morbos conformationis, magnitudinis, numeri atque cõpoſitionis: cõtinui denique ſolutio pro partium quibus inſidet varietate diuerſa quoque nomina ſortitur, variáſque ſpecies diſcernit. Hæc cùm ita ſint, poſtulat etiã ordo naturę, vt primorũ ſummorúmque generũ vniuſcuiuſque cõmunem curationem primùm attingamus, deinde his quę ſubiacẽt ad imas vſque ſpecies ordine perſequamur. Sic ταυτολογία vitabitur, quam

vt

vt moleſtiſſimam tædiíque pleniſſimam Logici omnes non iniuriâ damnant. Sed illi contra à ſummo capillo ducunt tradẽdæ curationis exordium: hinc ad capitis dolorem tranſeunt, cęterarúmque ſubiectarum partium affectus omnes ad imum vſque pedis perſequuntur, ordine nullo, ratione nulla, niſi quòd à capite auſpicati in calcem deſinunt. Fateor equidem Galenum excepto vno Hippocrate Medicorum omnium facilè principem idem docendi genus ſecutum fuiſſe tum in libris κατὰ τόπους, tum in tractatu περὶ εὐπορίστων: ſed quàm rectè quámque methodicè viderint qui rem accuratiùs expendere & ad calculnm exigere voluerint. Ioubertus in hac ſua θεραπευτικῇ methodo id vnum agit, vt à primis principiis ne latum quidem vnguem diſcedat rerúmque naturam ſequatur, quò nihil deſit aut redundet, nõ neſcius quantum obſcuritas ſtudioſis faceſſat negotium, quantum item prolixitas nimia tædium afferat. Verùm quid tam multis opus eſt? Vel ex prioribus libris hiſce facilè cuique fuerit de reliquo opere iudiciũ facere, quod quàm abſolutiſsimũ Deo dãte ſtatim poſt editam Rondeletij Practicã exibit in lucem. Tu interim, Lector beneuole, his vtere & fruere.

AD D. LAVR. IOVBERTVM Doctorem Medicũ & in ſchola Monſpelienſi Profeſſorem Regium, Iacobi Gabardi Burdegalenſis Epigramma.

Dum ſiſtis firmo fugientes robore vitas,
Artis nóſque tuæ non ſinis eſſe rudes:
Dum præclara tui ſeclo monimenta futuro
Neſcia ſorte mori nocte diéque paras:
Omnes vltrò iuuas, (vir prudens arte medendi)
Quos habet hæc ætas, quóſque futura feret.

Eximium decus inde tibi, vità inde perennis
Atque ſalus populis, mortua mórſque iacet.
Fallor ego: potiùs quin mors ruit impete grandi,
Vt validas vires ſentit adeſſe tuas.
Mors ea quæ fertur nam cùm ſit ianua vitæ:
Mors nulla hîc, aut quæ eſt, nil niſi morbus erit.
Sic quoties valido pellis medicamine morbum,
Mortis victor ades, pallida môrſque ruit.

PETRVS MAILLARDVS XANtonicus ad Lectorem, de D. Laur. Iouberti Therapeutica ſuis diſcipulis dictari incœpta.

Tartara ſemianimes cernunt Acherontis ad vndã
Vipereis rabidas crinibus Eumenides,
Cerberus horrenti latratu miſcet Auernum,
Miſcet & ignitas Dis Phlegethontis aquas.
Horridus aſpectu Charon tonat ore frementi,
Ingeminat voces Orcus & ipſe ſuas.
Sed cur? Phœbææ clariſſimus inſtitor artis
Iouberttus vegeto ſurgit honore virens:
Tollere pallentes doctus medicamine morbos,
Soluere quæq́; tenet languida membra dolor,
Mortis præproperæ (quæ tantis gloria geſtis?)
Eludens facili fortia vincla manu.
Quóque magis virtutis opus mirabile fulget,
Famáque ſydereos iam petitura polos:
Hoc grauiùs manes diris cruciatibus auctos
Inuidiæ vexant tormina ſæua trucis.

LAVR. IOVBERTI VALENTINI DELPHInatis, Regii Medici & clariſsimi apud Monſpelienſes Profeſſoris

De ſimplici intẽperie calida curanda, Liber primus.

CVM morbi omnes vel ad intemperiẽ, vel ad malam conformationem (cuius quinta ſpecies eſt continui ſolutio) referantur: ab intemperie tractationem curationis morborum ordiendam putamus: quòd particulis ſimplicibus & aliarũ velut elementis ſemper inſideat. Ea ſtatuitur octuplex: calida, frigida, humida, ſicca & quatuor modis compoſita: hæcque ipſa aliàs nuda & ſine materia, aliàs cum humore aliquo coniuncta, eóque peccante vel qualitate, vel quantitate ſola, vel vtroque modo. Simplex autem intemperies per- Morborũ genera.

petuò nuda eſt, cùm nullus humor poſſit intemperiem ſimplicem inferre, ſed pro ſuis qualitatibus omnino duplicem, vt autor eſt Galenus. Rurſus intemperaturæ tam ſimplices & nudæ quàm compoſitæ, & vel materiales vel abſque materia, aliàs partem vnam aut plures, aliàs vniuerſum corpus afficiunt. Ab his iiſque calidis, quia ſunt notiores vtpote omniũ frequentiſsimæ, tractationem aggrediemur: ſi priùs quid omnibus intemperiebus & aliis quoque morbis curandis ſit commune explicuerimus: quandoquidem ordine naturæ vniuerſa tractatio particularem præcedere debet.

Cap. vlt. libri de diff. morborum.

De intemperierum omnium curatione in vniuerſum. Caput primum.

CVM affectus omnis præter naturam ſui ablationem indicet: hæc verò per contraria fiat, & ſimplex affectus ſimplicẽ contrarietatem ex aduerſo deſideret: morbi ex ſimplici intemperie aliud nihil ex ſe, quàm alterationem neceſſariam eſſe demonſtrant: calidi refrigerationem, frigidi

Generalia curandi præcepta.

gidi calefactionem,& ſic de cæteris. Ea verò præſtamus medicamentis, hoc eſt, iis omnibus quæ corporis noſtri ſtatum immutare poſſunt, vt aër quoque medicamentorum claſſe contineatur: quorum vis quanta eſſe debeat, morbi vel eius cauſæ magnitudo oſtendit. Quippe, Gal. authore, contraria contrariis ſunt opponenda in pari exceſſu. Vtendi verò tempus ſeu occaſio eſt, cùm primùm intemperies manifeſtam noxam infert. Niſi enim principiis obſtes, mox ſimplici intemperiei duplex ſuccedet, calidæ ſcilicet calida & ſicca, & frigidæ frigida & humida, vt ex eiuſdem Gal. ſcriptis colligas. Adde quòd vbi vnicùm remedij genus requiritur, id ſtatim vſurpari ſine vlla cunctatione debet: vti quando plura neceſſaria ſunt, vtrum ſimul omnia, an hoc prius, illud poſterius adminiſtrari debeat, eſt deliberandum. Poſtremò ſciendum eſt ad alterationem conuenire tum aſſumenda tum admouenda remedia, & de aſſumendis quidem eſſe quæ nulla qualitate deleteria ſunt prædita: exteriùs verò qualiacunque fuerint admoueri poſſe: quanuis & ex his ipſis ea, cùm delectus eſſe poteſt, reliquis ſunt præferenda quæ naturæ noſtræ magis

Meth. med. lib. 7. & artis med. cap. 88.

Initio lib. 1. de temperamentis.

ſunt familiaria. Nunc propoſito affectu curando, quid ſit agendum obſeruemus. Quando intemperiei factæ vt alterius cuiuſque morbi cauſa ſubeſt quæ illã aſſiduè fouet & auget, remedia ipſi cauſæ expugnãdæ inſtitui debent: ſic enim nec aliter ceſſabit affectus, niſi tamen (quod non rarò accidit) tanta ſymptomatis alicuius magnitudo fuerit, vt neglecta interim cauſa affectus demulcendus videatur. Cauſam verò dico, non verè continentem, quæ nulli morbo deeſt, ſed huic proximam eámque duplicem. Quippe vna eſt quæ corporea dicitur, id eſt, in corpore ipſo contenta & ab eodem ſuſcitata, eáque vulgo ignota magna ex parte: altera externa prorſus & euidens, quæ à Medicis προκαταρκτικὴ dici ſolet, quo ex genere ſunt, aër, cibus & potus, labor & quies, ſomnus & vigilia, venus & alia quæuis inanitio, repletio, animi pathemata, & quæ tanquam fortuita vix penitus vlli vitare aut anteuertere licet, extrinſecus vulnerãtia, cõtundentia, &c. Hæc ſi perſeuerent, priùs amouenda ſunt, quàm affectus deleri poſſit: ſcilicet in contraria qualitate affectum aërem deducendus eſt æger, vel, ſi eum vitare non licet, huic eſt contraria qualitas inducenda

Morborũ cauſæ duplices.

ducenda: cibi & potus qui morbum intulerit,& ſimilium vſus interdicendus. Ab aliis denique ceſſandum, quæ corporis naturalem ſtatum immutarũt: dandáque opera vt iis ſuccedant contraria, quò morbi primaria cauſa confeſtim amputetur: nunquam tamen ab vno in alterum extremum affatim deducendus eſt æger. Quia ſemel plurimùm & repentè « euacuare aut replere, calfacere aut refri- « gerare, aut alio quouis modo corpus mo « uere periculoſum, vt prudens monuit Hippoc. Quòd ſi cauſa iam agere deſie- Sect. 2. a- rit & abſit, ſoli relicto affectui meden- phor. 51. dum eſt: quod fiet, ſi ἀμετρίαν morbi cuiuſque proximam cauſam ac verè continentem oppoſitis remediis, æquali nimirùm exceſſu, veluti prædictum eſt, oppugnaueris.

De vniuerſi corporis intemperie calida. Cap. II.

CALIDA intemperies nuda & ſimplex vniuerſum corpus occupans nullo peculiari nomine deſignatur, niſi velis eam φλόγωσιν appellare. Siquidem hæc ſine materia eſt inflammatio & calida intemperies: quæ ſi vniuerſum corpus afficiens

iunctam habuerit ſiccitatem, hectica febris erit. Caloris exceſſum ægrotantis ſenſus abundè teſtatur, eundémque tangens alter deprehẽdit: ſymptomata quoque nonnulla veluti vmbræ ardorem comitantia ſequentiáve illum ſatis indicant, rubor & dolor ex punctione quadam, ſitis, vigilia & inquietudo. Cauſæ euidentes ſunt, thermæ, *ſtuphas* noſtri nominant, inſolatio, labor immodicus, vini potentioris & vetuſtioris potus, ciborum acrium vſus, ira, &c. Secretior eſt, cutis aſtrictio & excrementorum fuliginoſorum calidorúmque retentio. Ea omnia ſi perſeuerent, ſtatim inhibenda ſunt, vti præmonuimus. Itaque à thermis & ſole in tepidiorem aërem primò, deinde in frigidiuſculum deducatur æger, non item ſubitò ab vno ad alterum extremum conuertatur. Siquidem omne nimium & repentinum eſt naturæ inimicum. Si labor in cauſa fuerit, imperetur quies: quæ vel alioqui neceſſaria eſt in quauis huius intẽperiei occaſione, quoniam motus omnis calefacit. Potus cibúſque calidior interdicatur, nec modò iræ modus ponatur, ſed illius etiam cauſæ recordatio prohibeatur. Cuti ſua laxitas reſtituatur, & præter naturam cohibitis excre-

Signa. Cauſæ. Cauſæ ſublatio. Hippoc. ſect. 2. aph. 51.

excrementis ſedulò prоſpiciatur. Hæc verò quibus modis perfici queant, ſuo loco dicemus. Etenim quando ad morborum in figura curationem vêtum fuerit,cutis aſtrictionem obſtructionémque tollere docebimus. Excernẽdorum verò quæ perperam cohibita ſunt excrementorum modum ac rationem paulò pòſt ſubiungemus, cùm de noxiis humoribus intemperiem excitantibus vel fouentibus (hoc eſt de humorali febre curañda) agemus.

Sublatis itaque & ceſſantibus cauſis primariis delenda venit continens ac præcipua,caloris vdzt exceſſus qui intemperiem calidam facit. Delebitur verò facili negotio vbi ſola fuerit neque fouentem aliam habuerit; inſtituta conuenienti victus ratione, & tũ aſſumptis tum admotis iis quę refrigerandi vim habeant:qualia ſunt ex ſimplicibus; oxalis, lactuca, intybus, cichoriũ, portulaca, nymphęa, aizoon, vmbilicus veneris, lenticula aquæ, vitis folia & capreoli, mandragora,cicuta,ſolanum,hyoſcyamus,&c. Ex fructibus, mora, fraga, pruna, ceraſa, mala Punica acidula vel acidodulcia, ſuccus limonum, ribes vulgaris officinarum,pira,mala cydonia,citrulli,cucume-

Emendantia caloris exuperantiam medicaméta ſimplicia.

res,cucurbitæ,melones & imprimis angu ria dicta. Ex ſeminibus,hordeũ, pſylliũ, papauer, 4.ſemina frig.tum maiora tum minora,&c. Ex floribus, roſa, viola, flores nymphææ,labruſcæ,&c.Prætereà ſantalum album & rubrum, ὀξύγαλα, acetum, omphacium, caphura, &c. Omnium verò præſtantiſsimè aqua vel aër, partim aſcititia partim inſita frigiditate.

Compoſita. Compoſita verò refrigerantia quibus vulgò vtimur quæque in officinis parata ſeruantur, hæc ferè ſunt: Syrupus acetatus ſimplex, de acetoſitate citri,oxyſac chara ſimplex,ſyrupus de limonibus, de granatis, cydoniorum, myrtinus, de roſis ſiccis, de papauere & ſimiles, de quibus nos abundè in tractatu de ſyrupis. Item zulapia duo, quod Alexandrinum cognominãt & violaceum. Sunt & con ſeruæ, violarum, nenupharis, acetoſæ, roſarum & florũ cichorij,&c. Pulueres aut tabellæ diamargariti frigidi ac triaſantali. In admouendis autem numerãtur oleum violaceum, roſaceum, nenupharinum, mãdragoræ, cydoniorum,myrtinum,papaueris,hyoſcyami: & vnguenta quædam,Populneum, Roſaceum, atque Santalinum.

Ea

Ea ferè eſt materia remediorum intẽperiei calidæ, qua imprimis ad medendi rationem inſtituendam vtemur. Si aër ex ſe ſat frigidus non eſt, domus pauimẽtum irroretur aqua frigidiſsima & pauco aceto vel aqua roſacea. Inſternatur frondibus & capreolis vitium, foliis arundinum, ſalicis, nenupharis, cucurbitæ, cucumeris & ſimilibus. Parietibus appendantur lintea gelidiſsima aqua madentia, atque tum hæc tum prædicta cætera ſæpius ac ſubinde renouentur aut iterentur. Pateant feneſtræ qua ex parte flat Aquilo, aut flabellis aqua frigida madentibus agitetur aër: hîc lucidior minùs conuenit, quia natiuum calorem & ſpiritum ad habitum corporis inuitat, & iam iuſto calidiorem magis excalfacit. Vini loco bibitur aqua egelida ſimplex, vel in qua fuerit decoctum hordeũ, oxalis aut coralliũ. Aliquantiſper feruefacta longè frigidior euadit. Abundè refrigerat & ſitim efficaciſsimè tollit poſca, vt ratione non dubia docet Gal. Syrupi modò recenſiti, ſi placeant, ex multa aqua diluti bibantur. Neque verò tantùm frigidior, ſed humidior quoque cibus eſſe debet, qualem Hipp. febricitãtibus omnibus præſcribit, quòd feruorem etiã humiditas nõ parum hebetet.

Simplicis intẽperiei calidæ per diætã curandæ ratio.

Libr. 1. ſimp. cap. 31.

Aph. 16. lib. 1.

Sint ergo cibi omnes liquidioris ſubſtantiæ: ptiſſana colata ſiue hordeatum, iuſcula ex pullorum gallinaceorum carne alterata incoctis foliis lactucæ vel acetoſæ &c. vel vua immatura, cucumere, cucurbita, &c. Abſtinendum à carne adultiorum animalium. Conceditur vitulina & hœdina, ſed elixa & ex ſucco acido comeſta. Oua non conueniunt, niſi recentiſsima & ſuffocata, eadémque ex acido ſucco ſumpta. Fructus, ſemina & quæcũque initio propoſuimus in condimentis & cibis vſurpari ſolita tùm temporis in vſu frequenti debent eſſe. Somnus maximè confert non ſolùm humectando, ſed etiam refrigerãdo corpori: hic verò quibus modis conciliandus veniat, in ſymptomatum grauiorum vrgẽtiúmque mitigatione docebimus. Venus omnino interdicenda, quòd non modò agitatione calorem adaugeat, ſed corpora etiam inaniat magis & exiccet. Nulla ſit ne vel minima quidem animi corporíſve motio, ſi fieri poſsit: ſed contrà quies & tranquillitas altiſsima.

Calidã intemperiẽ alterantia medicamenta.

Inſtitutis probè his quæ ad diætã pertinent, alterantia quædam medicamenta præſcribenda ſunt. Ea fuerint ſyrupi vel zulapia, opiatæ aut tabellæ, de quibus ſingulis

gulis diebus ídque mane ieiuno vẽtriculo nõnihil aſſumet ęgrotans. Et zulapiũ quidem conuenientiſsimum erit Alexandrinum vocatum, aut violaceum copioſiore aqua dilutum.

Sumantur ergo zulapij ℥ ij. aquę ciſternæ vel fontanæ puriſsimæ & leuiſsimæ ℥ iiij. vel ℥ v. Capiat quatuor ſaltem horis ante prandium, & continuet quantum neceſſe videbitur. Vel vtatur opiata ſequenti: Potus.

℞ conſer. florum cich. conſer. roſarum an. ℥ j. conſer. acetoſæ & florum nenupharis ana ℥ ß. pul. diamarg. frig. ʒ j. triaſantali ʒ ß. cũ ſyrupi viol. q. ſ. fiat opiata, de qua deuorabit ſingulis matutinis ℥ ij. vel iij. aut ad molem nucis iuglandis. Ex iiſdem fiet electarium ſolidum per tabellas, hoc modo: Opiata.

℞ puluerum præſcriptorum an. ʒ j. ß. conſer. florum cich. & acetoſæ an. ℈ ij. ſacch. albiſs. diſſoluti aqua violarũ & nenupharis q. ſ. fiat electariũ, ex quo tabellæ pond. ʒ ij. Electariũ.

Iam circa admouenda tertia occurrit ſolicitudo. Quando corpus vniuerſum æſtuat, præſentiſsimum remedium eſt balneum aquę dulcis & tepidæ. Efficacius id fuerit, ſi herbæ, ſemina & flores ſuperiùs Balneum.

recenſiti in aqua ipſa ferbuerint. Quantitas herbarum ſit,earum quæ minùs refrigerant ana M. vj. narcoticarum ana M. ij. earum verò quæ mediæ ſint facultatis media inter illas doſis,ſcilicet ana M.iiij. hordei ℔ j. papaueris ℥ j.aliorum verò ſeminum ana quart. ß. adiiciatur. Flores vſurpentur ſinguli ad P. iiij.in aquæ pluuialis ſuff.q.feruefiant ſcd̃m arté.Per linteũ labro ſuperpoſitũ decoctio percoletur, eidémque interceptis herbis ac inuolutis inſideat qui lauari deſiderat. Tepidus ſit liquor, &in eo, quandiu erit mora iucundior,placidè cõmoueatur æger.Lectus in quem deinceps reponendus venit mollior conueniens eſt, non tamen plumarius.

Ebibita linteamine aqua, inungantur vel epithematis foueantur principibus partibus aduerſæ regiones, ac iis quidem quę refrigerandi vim habeant. Quippe refrigeratis hepate,corde & cerebro, vniuerſum corpus eandẽ mox ſentit alterationẽ per venas,arterias & neruos communicatã.Olea quæ id præſtant,ſunt antè recenſita.Idem efficiemus lactuca vel portulaca per ſe contuſa & admota prædictis partibus.Epithemata verò concinnata in

Olea.

ſequen-

ſequentem modum partibus iiſdem inducentur:

℞ pul.elect.diamarg.frig.& triaſantali an.ʒ iij.flor.viol.roſ.& nymphææ ana ʒ ij.s.lactucæ, papaueris albi & berberis ana ʒ j.camphoræ ℈ ij. pulueréntur puluer anda,& diſſoluantur aquarum ſolani endiuiæ oxalidis & portulacæ ana. ℥ iiij. vini generoſi quart.i.hoc eſt ℥ iij.agitentur ſimul &eo liquore inſuccati expreſsíque panni admoueantur hypochondrio dextro ad mammam ſiniſtram & ſincipiti, vel temporibus quà micantes arteriæ manifeſtò depreheduntur: ſubinde renouentur cùm exaruerint. Epithema

Idem præſtabunt vnguēta priùs commemorata, Roſaceum ex Meſuæi aut Gal.deſcriptione, & Sātalinum quod ceratum appellant. Vtrūque miſceri poteſt pari quantitate, ac tum hepatis tum cordis regioni admoueri, quia aſtrictionis aliquid ea ſortiuntur.Populeum inſigniùs multò refrigerat, quo nomine & quòd aſtringentibus careat ſuſpectum eſt iis partibus,non tamen cerebro: cui refrigerando & ſomno conciliando conuenit temporibus illitum. Ad cerebrum enim remediorum vis non æquè facilè peruenit atque ad ipſum cor vel hepar. Vn- Vnguēta.

guenta eiuſdem facultatis licet hoc modo deſcribere:

℞ ſuccorum ſolani lactucæ & endiuię depuratorum ana ℥ ij. ſucci limonum ℥ j. ſantali albi & rubri ana ℥ iij. roſ. rub. florum nenupharis & violarum ana ʒ ij. s. lactucæ & berberis ana ʒ j. ſpicæ nardi ℈ ij. olei roſ. & ceræ albæ q. ſ. ex arte reducantur ad formam vnguenti.

Hactenus vniuerſi corporis calidam intemperiem curauimus. Sequitur vt particularum ſimilis intemperiei diſtinctam curationē præſcribamus. Ea enim partibus omnibus ſeorſim accidere poteſt: frequentiùs tamen percipitur in lumbis & regione renum, in volis manuum ac pedum plantis, in ventriculo, facie & ſincipite. Hepatis quoque, etſi non ſentiatur, ſæpiùs tamē accuſatur caliditas, vt & ipſius vteri. Nam & huius intemperies calida non rarò ſterilitatis cauſa exiſtit.

De Lumborum calida intemperie. Cap. III.

LVmborum calida intemperies ægrotantis ſenſu deprehenditur: fit verò maximè quib⁹ multa pinguedo renes circunſtans

Cauſæ. incaleſcit à laborioſa motione aut decubitu

bitu in lecto plumario, dorſi calefactione ad ignem, vel conſtrictione veſtimẽtorum & zonæ. Dolorem mordacem & inquietudinem efficit: atque ſi perſeueret, in pituitoſis gignendarum arenularum & calculi periculum denuntiat. Signa.

Cauſæ morbũ excitãtes & fouẽtes ceſſent: & quod ad decubitũ attinet, is in latus alterutrum aut ventrem (auerſo tamen capite) imperetur, nunquam in lumbos, ne ſi palea quidem ſola ſubſtrata fuerit: quod ne fortè dormienti incautè accidat, dormiturus accingat baltheum cui è regione renum ciceres peracuti, aut ſpinoſa ſpinaciorum ſemina intexta ſint. Victus ratio qualis modò præſcripta fuit inſtituatur, niſi alterius partis, vt vẽtriculi diuerſum temperamentum contraindicet. Si enim, vt ferè fit, ventriculus eſt frigidior, admotis potiùs quàm aſſumptis refrigerandi erunt lumbi. Fotus balnei vicem ſupplebit: is ex eadẽ prorſus cũ balneo materia, ſed multò parciore præſcribetur. A fotu inunctiones anteà præſcriptæ cõferent eęque potiſsimùm quæ nullam præſeferunt aſtrictionem, quales ex Populeo vnguẽto, ſi maximus eſt ardor: in minore, ſatisfecerit ſequẽs linimentũ. Curatio. Fotus. Linimentum.

℞ axungiæ gallinæ recentis ſexies lotæ

aqua viol.℥ ij.olei de papauere & muſcilaginis,s.pſyllij extractę in aqua lactucæ ana ℥ j. ſucci vmbilici Veneris & aizoi maioris vel minoris ana ℥ ß. caphuræ ʒ i.ceræ albæ q.ſ.fiat linimentum. Conuenit poſtremò laminam plumbi tenuiſſimam dimidium palmum latam & (vt calido effluxui pateat exitus)crebris foraminibus peruiam lumbis adhibitam ac ſuperilligatam aſsiduè geſtare.Quòd ſi argento viuo affricata fuerit, multò magis refrigeratoria deprehendetur: hydrargyrus enim vel primo contactu frigidiſsimus apparet: verùm quia lamina ſubitò abſumitur,ſi pluſculum hydrargyri cõceperit, eſt alia ſubinde paranda.Hactenus de renum intemperie calida.

Lamina plumbi.

De manuum pedúmque ardore, ſimúlque de hepatis intemperie calida.

Cap. IIII.

MAnuum &pedũ ardor ferè ſudore comitatur earũdẽ partiũ atque à cibo aſſumpto frequẽtiùs quàm ieiuno vẽtriculo animaduertitur. Plerique omnes ad calidam hepatis intemperiem cauſam referunt: quanuis etiam cordis immodicè calentis ſymptoma eſſe poſsit,quod frequẽ-

Cauſæ.

tius

tius eſt, meo quidem iudicio. Nam qui de eo conqueruntur, pulſu frequentiore crebrioréque ſolent eſſe. Caliditas verò in extremitatibus maior quàm partibus ſentitur intermediis: non quòd extremæ venæ ſint magis retectæ, vt voluere nonnulli, ſed propter quãdam velut ἀντιπερίστασιν, cum illîc calloſior cutis ſit & lato craſſóque tendine corroborata.

Victus ratio qualis ſupradicta cõuenit, imprimíſque largior cichorij & endiuiæ vſus. In topicis accommodata ſunt vnguenta vel epithemata paulò antè præſcripta in totius corporis intemperie, cordi nimirùm & hepati admouenda. Veruntamen quia vt bilis hepatis intemperiem calidã, ita huius ipſius intemperies calida bilem multã viciſsim fouet & auget, conſultius fuerit non priùs partẽ admotis perfrigerare, quàm noxius humor leuiore ſaltem medicamẽto purgante fugat⁹ fuerit. Ad id maximè faciũt Rhabar. infuſum vel dilutum, Myrobalani citrinę, Tamarindi, Caſsiæ ſiliquæ pulpa, Syrupus violatus ex multis infuſionibus & roſatus laxatiuus, Diaprunum ſimplex & compoſitum, Electarium de ſucco roſarum, ex quibus parentur ſequentia: Curatio.

℞ pulpæ Caſsiæ ſiliquę recèns extra- Boluş.

ctæ in fumo decoct. lactucæ ℥ j. vel ʒ x. Cum ſaccharo fiat bolus vnus vel plures: capiat in aurora.

Valentius erit hoc modo medicamentũ:

℞ pulpæ ſupradictæ ʒ vj. elect. de ſucco roſarum vel diaprunis ſolutiui ʒ ij. cũ ſaccharo fiat bolus. Si potio eſt iucũdior:

Potio. ℞ foliorum lactucæ endiuiæ cichorij & acetoſæ ana M. ß. pulpæ tamarindorum ʒ ij. myrobalanorũ citrinarum ʒ ß. fiat decoctio in qua infunde rhab. electi & puluerati. ℈ iiij. factæ expreſsioni adde ſyru. violati ex multis infuſionibus vel roſ. laxat. ℥ j. miſce: fiat potio.

Tenuioris fortunæ homines vſurpabunt fumariæ ſummitatum in ſero lactis infuſionem hoc modo paratam:

Potio pauperibus. ℞ comarum fumariæ. M. j. ſeri lactis caprini diligenter percolati ℔. ß. vel ℥ viij. Infunde per noctem, & expreſſum colatum hauriãt in diluculo: continuent 8. vel 10. dies.

In refrigerando hepate cautio duplex. Lib. 8. de compoſ. pharmac. ſecũdum locos c. 1. Cæteris diebus manè capiant aliquid de opiata alterante vel tabellis ſuperiùs præſcriptis: atque eodem tempore vnguẽtis vel epithematis vtãtur, hac tamen cautione vt aſtringẽtia nunquam omittantur, quibus vis iecoris fœliciter retineatur, vti monet. Gal. Ob id illis addemus

mus oleum maſtichinũ aut cydoniorum. Præterea in hepate refrigerando cautiſsimos nos eſſe decet, ne mediocritas excedatur. Nam, vt prudẽs ſuadet Auicennas, præſtat in refrigerando parum deficere ob caloris neceſsitatem. Nulla manibus pedibúſve remedia admoueo, quòd ab iis facilè immoderata caliditas amoueatur, hepate refrigerato. Vbi tamen vehementior & moleſtior ea fuerit, velut in ardente febre, talia non negligimus.

De ventriculi ardore. *Cap. V.*

VEntriculi ardor nonnullis ſentitur, non tamen aut vix ſine bilioſi humoris præſentia, qui aliàs flauus, aliàs porraceus vel æruginoſus apparet. Calorem inſignem teſtatur ſenſus ægri & ſitis ingẽs: eſt pręterea dolor ἀσσώδης, id eſt inquietudo maxima. Non rarò animi deliquium & ἀνορεξία accidit, præſertim ab eſu acrium eduliorum vel aromatum, aut bile in ventriculum ex aliis partibus confluente. Signa & cauſæ.

Victus ratio qualis priùs deſcripta conuenit, imprimis verò cydoniorum & malorum granatorum vſus, quæ ventriculi os ſuperius corroborando bilẽ ab eo deturbẽt, niſi malis vomitu humorem ad Victus ratio.

Curatio. ſuperiora vergentem educere: quod ſanè præſtat, dummodò æger ad vomendum prorſus ineptus non videatur. Nam & eò ſua leuitate repit humor, & via multò breuiore citiùs ac minore cum periculo reiicitur. Atque id genus remedij primùm eſt inſtituendum: deinde ſi portionem humoris craſsioris in fundo vẽtriculi ſubſidere coniectura eſt, medicamentum purgans ex rhab. infuſione modò præſcriptum dabimus ſequẽte diluculo. Ab hoc refrigerantium ſimul & aſtringentium vſus proderit: vt prædictorum fructuum & ſyruporum de granatis, de cydoniis, de roſis ſiccis, myrtinus, oxyſaccharis & aceto ſi ſimplicis. Omniũ verò maximè ſucci acidorum granatorum cochlear vnum aut alterum manè aſſumendũ: his enim & ardor & ſitis facilè extinguentur, ſublata iam materiali cauſa intemperiem fouẽte. Adhæc nouæ materiæ confluxus velut præcluſis, ab aſtrictione viis intercipietur. Sed alia quoque ratione ventriculus aſtringentia requirit non in hoc tantùm affectu (cui ex laxitate facilè inducit imbecillitatem) ſed alio ferè quouis, vt docuit Gal. & nos etiam de iecore agentes anteà monuimus. Deniq; opiata præſcripta & electarium ſolidum in tabellis

Aſſuméda

Gal. de cõp.phar. ſecundũ locos lib. 8.cap.1.

erunt

erunt ex vſu, præſertim ſi vbique violarum loco roſæ reponantur. Cùm topica in vſum venient, animaduertendum erit num hepar ſimili an diſsimili intemperie laboret: vtrunque enim non rarò accidit. Quòd ſi eſt diſsimile, hoc eſt, iuſto frigidius, vel etiam bene temperatum hepar, non erit inungenda refrigerantibus regio ventriculi ea parte qua inungi ſolet, nimirùm anteriore ad xiphoidem cartilaginem & hypochondria. Nam ita priùs afficitur hepar, poſteriùs ac velut ex accidenti ventriculus, quando huic qualitas hepati iam impreſſa communicatur. Quare vt hoc incommodũm vitent nonnulli, malunt in dorſo è regione ventriculi vnctiones facere, & alia topica admouere. Sed & vertebrarũ & multorum craſsiſsimorũmque muſculorum ea eſt denſitas, vt medicamenti ad ventriculum penetratio facilè impediatur. Præſtat, meo quidem iudicio (vt id ſemel admoneam) quoſcunque ventriculi affectus curare aſſumptis remediis, tum ob rationem antè commemoratam, tum quia aſſumptorũ promptiſsima eſt actio. Cùm enim mox integríſq; viribus ventriculum attingant & ab interiore parte afficiãt, maxima certè efficacia quibuſcun-

Topicorũ vſus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que ventriculi affectibus mederi poſſunt. Admota verò non item, niſi hepatis & ventriculi ſimilis intemperies corrigenda veniat, quanuis & vterque hic affectus ſolis aſſumptis deleri poſsit. Excipio ventriculi refrigerationem, quæ ex frigidioris humoris deſtillatione quam calidius hepar irritauerit inducta fuerit, quæque Medicorum vulgo, ni fallor, crebriùs quàm par ſit ſuſpecta ſolet eſſe. Quoſcunque enim hepate iuſto calidiore iudicant, frigido eſſe ventriculo cenſent: cùm tamen ſæpius accidat vt calidius hepar ſimili intemperie & ipſum afficiat ventriculum, nec vllã niſi fortè acrem defluxionem excitet. In hoc autem caſu refrigerantia hepati admota vtrique viſceri conferunt. Nam retuſo hepatis ardore ventriculi etiam calor remittitur. Quòd ſi frigeat ventriculus ex deſtillatione frigida quam excitet calidius hepar, hoc refrigerato ille ad ſuam temperiem facilè reducetur. Quamobrem vulgari contraria prorſus eſt ineunda ratio: vt ſcilicet quando ventriculus eſt frigidior quia hepar calidius, inunctiones pro ventriculo inſtituendæ refrigerent. Cùm enim iecur primùm afficiant, ſi calidæ fuerint, ventriculi frigidam intemperiem ex frigida deſtillatione

tione ab hepate calidiore ortam augebunt, vti antè dictum eſt. Sin refrigerent, refrigerationis ventriculi cauſæ abundè medebuntur.

De vteri calida intemperie. Cap. VI.

VEntriculo vterus quodammodo reſpondet &, quanuis raró, calida intemperie laborat, quę ſeminis velut ſitim inducit, & ita inducit vt niſi eo ſubinde irroretur furorem quendam inferat: iis notis à muliere ipſa confeſſis deprehendetur affectus. Quibus addere licet partium circa vterum, hoc eſt pubis & coxarum, maciem & infœcunditatem. Solet enim is affectus ſterilitatis eſſe cauſa, quòd ſemen adurat: & iis frequentiùs accidit, quibus menſtrua non copioſè fluunt. Niſi enim irroretur ſanguine ſuo tempore vterus, id eſt, ſemel in menſe, is non ſolùm aridior, ſed calidior quoque euadit. Idem patietur, ſi præterfluens ſanguis bilioſus aut alio quouis modo acris fuerit. Signa & cauſæ. Hippoc. aphor. 62. lib. 5.

Victus frigidior inſtituatur, niſi, vt aliquando monuimus, ventriculi frigi- Curatio.

ditas obſtet. Pauci enim ſunt quib⁹ æquale temperamentum toto corpore inſit, & vt verè ait Celſus, rarò quiſquam non a- Lib.1. c.3.
» liquam partem corporis imbecillam ha-
» bet. Curandum vero eſt ſummoperè ne dum vni prodeſſe cupimus, aliis pleriſque noxia præſcribantur. Satius tamen fuerit in hoc rerũ ſtatu nõ planè calefaciẽtibus (qualia frigidior ventriculus ſui ratione deſiderat) ſed temperatis potiùs vti: quibus perinde ac tepida addita gelidæ frigoris exceſſus remittatur. Si acrior eſt ſanguis, purgetur à bile & ſero cathartici paulò antè commemorati ope: deinde præſcriptis ſyrupis, opiatis vel tabellis (ſi conuenire videãtur) deleatur impreſſa caliditas. Si tantùm parcior ſanguis, procuretur eius copia largiore cibo cóque εὐχύμῳ καὶ εὐπέπτῳ. Quies iniungatur: curæ & animi pathemata omnia præter riſum & moderatam lætitiam prohibeantur: ſomno indulgeatur plurimùm. Quando iam bene ſucculentum apparebit corpus, & venæ ſolito magis turgebunt: tùm ſi ad vterum non inclinat ſanguis, eò inuitandus erit cucurbitulis ad inguina frequenter appoſitis, aut venarum apertione, venarum inquàm, quas *ſaphenas* Barbari

vocant

vocant (hæ malleolos vtrinque perreptant) vnde ſanguinis parum effluere ſinatur. Inde ad topica veniendum: quibus vterus ſic poterit diſponi, vt ſanguinem plurima certe partis huius vitia emendantem faciliùs admittat: nempe refrigerantium vel iniectione vel fotu nō modò excellens calor, ſed etiam ariditas Topica. qua denſior euaſit vterus emendabitur. Decoctio itaque paretur qualis initiò fuit præſcripta ad balneum, & eius ſufficiens quãtitas per metrenchyten frequenter in vuluam iniiciatur. Vt verò in ea iuſtam moram trahat, procurandum erit obſtructo eius collo, quod facilè fiet inſtituto ſitu conuenienti. Non abs re fuerit eadem aut ſimili decoctione implere rectũ inteſtinum & in veſicam quoque portionem aliquam iniicere. Nam cùm vterus inter veſicam & rectum inteſtinum medio loco ſit, forinſecus ea ratione nō minimùm alterari poterit. At paucæ omnino fœminę ſunt, quæ vel vterinum clyſterem velint admittere. Verecundioribus itaque ſolus inteſtinalis præſcribatur, & fotus pubis ac totius inferioris ventris. Poſt lotum frequentem vngentur eædem partes ſuprà ſcriptis vnguentis. Si efficacius eſſe velis quod in rectum inteſtinum

immittetur Roſacei vnguenti ℥ ij. diſſoluantur ℥ viij. decoctionis. Sic enim fiet vt præ craſsitie (modò mulier iniectionem patiatur) diuturniorem moram trahens perfectiùs agat, neque ſit opus eodem ſæpè repetito. In grauiore affectu cùm nihil præſtabit roſaceum, Populeum vſurpabitur. Hactenus de vteri feruore.

De Faciei calida intemperie.

Cap. VII.

FAcies nonnullis maximè calet rubétque, ſi ſeſe paululùm exercuerint. Nonnullis etiam quieſcentibus idem accidit, ac fœminis præſertim quibus menſes non fluunt. Eius affectus notæ perſpicuæ ſunt.

Cauſæ & ſigna. Cauſæ verò, quæcunque feruidiorem tenuiorémque ac proinde leuiorē & halituoſum magis ſanguinē efficiūt, nec non (vti modò dixi) ſanguinis mēſtrui detētio.

Quid in huius vitij correctione moliendum ſit paucis hîc attigi, multò plura dicturus vbi ex profeſſo de vteri venarum obſtructione vel coarctatione aliiſque retentorum menſium cauſis tractabitur.

Curatio. Sanguinis itaque tenuitati à feruore medebimur inſtituta victus ratione (niſi alia pars obſtiterit) qualem initio præſcripſimus: & bilioſi humoris decenti e-

euacua-

uacuatione: hic enim ſanguinem iuſto calidiorem magíſque penetrabilem efficit: quib9 nominib9 facies immodicè calet & nonnunquã ἐρυσιπελατώδης cõſpicitur. Eſt quando epidermida immodicè arefaciens eam in furfures conuertat. Cæteris ex arte inſtitutis, ſi ſtata nulla ſanguinis reuulſio expectetur, qualis per hæmorrhoidas aut menſtruorum eruptionem, aperietur vena cubiti vtriuſque nũc quidem vnius, duobus verò aut tribus interpoſitis diebus alterius: præſertim ſi nõ tenuior modò, ſed etiam copioſior fuerit ſanguis. Frictiones extremorum, maximè verò pedum, hoc loco conferunt, & eorundem lotiones ex decoctione iam ſæpenumerò commemorata. Eſt enim maximus pedum & capitis conſenſus, vti experientia docet. Interim verò faciei proſpiciendum, ne tam facilè ſanguinis bilioſi vaporem admittat, & ipſa quoque refrigeretur. Vtrunque præſtabit frequẽs lotio ex aqua roſarum, violarum & nenupharis, lactucæ & ſimilium. Omnium verò præſtantiſsimum eſt quod lac virginale vocant, ſcilicet lithargyri aqua ſoluti colatus liquor. Id cùm multis modis parari poſsit, à me ſequenti modo deſcribi ſolet:

Lac virginale. ℞ lithar. argentei ℥ j. ceruſæ candidiſſimę ʒ iij. caphuræ ℈ ij. diſſoluantur aquarum ſolani lactucæ & nenupharis ana ℥ iij. aceti vini albi ℥ ij. aliquot horas reſideant: deinde tranſmittantur per filtrum. Aqua ſeruetur in vaſe vitreo, ac ca bis térue quotidie facies irroretur.

De capitis calida intemperie. *Cap. VIII.*

CAput ea maximè parte calet in qua laxiores ſuturæ conſpiciũtur, coronaria inquàm & ſagittaria, quando in tertio illo ſinu qui falcẽ repræſentat ſanguis efferueſcit. Efferueſcit verò nonnunquam adeò vt quibus textura rarior eſt, iis tunc vapores manifeſtò prorumpere videantur. Nõ Signa. modò qui hoc genus affectꝰ patiũtur inſignem calorem ſentiũt, verumetiam quiſquis illorum ſincipiti manum appoſuerit. Cauſæ. Ab ira, lectione vel ardua cogitatione, aliáve animi maxima contentione accidere ſolet: atque ſi perſeueret, vigilias & mentis inquietudinem affert.

Curatio. Victus ratio communis calidorum affectuum, ſi ea opus fuerit, inſtituatur: pedum molles frictiones quales pro ſomno conci-

conciliando fiant, tum huius ipſius gratia, tum etiam ad diuertendum. Oxyrhodino irrigetur ſinciput ex alto guttatim inſtillato, quæ vera eſt embrochatio. Illud ipſum verò ſequenti modo præſcribatur:

℞ olei roſ. completi ℥ iij. aquæ violarum aut nenupharis ℥ ij. aceti vini albi acerrimi quart. ß. Agitentur ſimul donec permiſta fuerint. Oxyrhodinon.

Poſtremò ſi contumacior videatur affectus, & vigiliæ iuges moleſtæ admodũ ſint, non erit abſurdum cucurbitæ noſtratis taleolas vel fruſta ſincipiti admouere, vel populeum vnguentum vſurpare, quod non ſolùm temporibus (vt fieri aſſolet) ſed etiam prædictæ parti illinatur.

Locos præcipuos quibus particulatim ferè accidere cõſueuit calida intemperies attigiſſe mihi videor: alios negligo de induſtria, tum quia rariores ſunt, tum quia non aliter quàm prædictorum nonnulli præſcriptis remediis curētur. Adde quòd incendium cum rubore cui artus obnoxij plerunque videntur eryſipelatis naturam omnino repræſentat: cuius curationem tùm demùm perſequemur, cùm ad tumores ventum fuerit. Agnoſco prætereà me non tantùm ſimplicis ac pror-

ſus nudæ intemperiei calidæ curationem hîc tradidiſſe, cùm ea vix ſine materiali ſubſiſtat: ſimplicis tamen ratio primùm fuit habenda vel doctrinæ gratia, vt deinceps compoſitæ curatio eò ſit facilior.

De calida ſimul & ſicca intemperiei curatione. *Cap. IX.*

IAm de calida & ſicca intemperie dicendum venit: quandoquidem, vt præmonuimus, calidæ mox ſuperuenire ſolet eodémque ferè modo curatur.

Curatio. Illud primò annotandum, ex refrigerantibus hîc ea potiſsimùm deligenda eſſe quæ etiam humectent, non item aſtringentia, tametſi ventriculus & hepar eo affectu laborarint. Siquidẽ aridior facta pars iuſtò denſior & aſtrictior facilè deprehenditur. Humectantia verò quæ refrigerantibus permiſceãtur ſunt, malua, Humectãtia medicamenta. althæa, vtrunque bugloſſum, violaria acãthus & ex ſuprà recenſitis plurimi fructus, ſemina, flores &c. Porrò calida ſimul & ſicca intemperies vniuerſum corpus aut certè præcipuas pluréſque partes Febris. afficiens in corde primùm locata, febris eſt. Hanc vel ſubiectus humor cordis finibus partibúſque vicinis contentus fouet & auget: aut vapor ſiue ſpiritus, vel

humor

humor aliquis qui vel perpetuò vel per interualla conflagret: aut propria cordis ſubſtantia eam penitus continet. A poſtrema hac ſpecie, quòd ſimplicißima videatur, febrium curandarum methodum auſpicabimur.

DE CVRANDIS febribus Liber II.

De febre hectica. Caput I.

Febrem quã ἑκτικὴν Græci nũcupant ex eo nomen traxiſſe docet Gal. quòd ſtabilis eſſe ſoleat ac ſolutu difficilis, quẽadmodũ & qualitatis ſpecies ἕξις vocata, vel quòd ipſum corporis habitũ occupet. Triplex eius differentia conſtituitur pro magnitudinis & graduũ diuerſitate, cùm tamen vnicus ſit morbus & diuerſa tempora. Nempe principium eſt, quãdo humiditas ros appellata cõflagrat: augmentum verò, cùm id acciderit glutini vel cãbio: ſtatus, quando humidum radicale vſtionem patitur. Auicennas triplicẽ hũc modum eleganter explicat propoſito oleo quod in lucerna continetur, & ea proportione quam ellychnion iam ebibit, &

Lib. 1. feb cap. 9.

Triplex hecticæ differẽtia.

humido ellychnij proprio cuius opera terrenæ partes cohærent.

Signa. Incipiens hectica non facilè deprehéditur, cùm poſſet faciliùs curari: vlteriùs progreſſa vix aut nunquam curatur, cognoſcitur autem facillimè. Conſummata eſt cum totius corporis ſqualore, cutis aſperitate & macie extrema: Hippocrati In progn. deſcripta facies adeſt: oculi concaui, nares acutæ, collapſa tempora, frontis arida cutis: vngues ferè nudati acuti & adunci euadunt, pedes aliquando tument. Calor à cibo luculétior non aliter ac calcis dum liquor ſuperinfunditur, alioqui toto corpore æqualis à febricitante ipſo non percipitur: quanquam ſi manum admoueas, ſenties paulò poſt acerrimũ mordacémque calorẽ. Semper verò manifeſtior eſt in volis & plantis pedum: cuius rei rationem anteà explicauimus. Nullus percipitur dolor, quia iam ęqualis eſt intemperies. Quòd ſi fortè is ſentiatur & febrem ſe pati æger intelligat, alter haud dubiè ſubeſt affectus, nempe febris in humore conſiſtens, aut viſceris alicuius phlegmone.i.tumor præter naturam calidus. Pulſus eſt calidus, infixam ſolidis partibus intemperiem demonſtrans: durus, à ſiccitate arteriæ: debilis, paruus ac frequens

frequens ab intemperie & imbecillitate cordis: frequentior tandẽ & velocior (vrgente neceſsitate) euadit, cùm à cibo feruentior calor excitatur. Nonnullis frequens eſt ſyncope plurimùm metuenda, ex ſpirituum paucitate & prauitate.

Proxima huius affectus cauſa in corde eſt, quod & aliarum quarumuis febrium fomes eſt, *mineram* vocant: hinc enim vniuerſo corpori fit communis. Remotior cauſa eſt, quicquid tantum támque acrem ſuſcitat calorem, vt ſolidas quoq; partes depaſcatur. Vel primò ſtatim neq; alio vllo prægreſſo morbo nonnunquam corripit hectica, quanuis id rariſsimè: interdũ diariam febrẽ mox excipit, quando nimirùm corpus iã aridius, calidius & pauci ſanguinis fuerit. Aliàs, & multò frequẽtiùs, ardentes febres, aliáſve diuturnas ſequitur. Aliquando eius principiũ ducitur à thoracis partibus malè affectis, pulmone vlcerato (φθόλω proprie vocãt Attici) tumore aliquo præter naturam viſcera occupante, phlegmone, eryſipelate, ſcirrho. Naſcitur quandoque à venrriculo, pancreate, inteſtinis, hepate, renibus vel vtero. Curatu difficillimam aut impoſsibilem eſſe prædiximus eam quæ ſit confirmata & euidẽtiſsima. Quin ne vlla qui- Cauſæ.

dem ſalutis ſpes ei relinquitur quæ febris comitem vel authorē habet phlegmonem internam, φθόλω, aut adenum meſaræi ſcirrhum.

Curatio. Curationem inſtituenti primùm diligenter obſeruandum, an hecticæ alter copuletur affectus: quippe tùm huius curatio ſeorſim aggrediēda foret, non prorſus neglecta febre. Verùm ſimplicis & ſolitariæ curationē tradamus. Poterit enim qui tum huius tum aliorum ſigillatim affectuum curandorum rationem nouerit, quādo ij implicabūtur, omnibus certa ratione mederi, quā & nos abſoluta ſimpliciū θεραπευτικῇ poſtremo loco tradem9.

Victus ratio. Victus ſit refrigerans & aliquātò magis humectans: hîc enim præcipuè ſiccitas corrigenda eſt, quantum fieri poterit. Aër & res cæteræ non naturales vocatæ vt ſe habere debeant, ex ſuperioribus repetendum: quibus pro tanto affectu quædam alia ſunt adiicienda. Aër calidior refrigerari debet, frigidior qualis eſt hyeme calefieri, ſed vapore feruētis aquæ potiùs aut leui flamma, quàm accenſis carbonibus: humidior enim conuenit aër cum tepido calore.

Lactis vſus. Lac muliebre aut aſininum ex præcipuis alimentis ſit: caprillum quoque vſui eſſe poteſt: neque vaccinum negligi

gligi debet, cùm ſuo butyro expurgatum fuerit. Notis ſuis commendatum eligatur, & vel è mamma ſugatur, vel recens mulctum bibatur, nempe primo die ad quart. j. atque ita ſenſim augendo quantitatem, dummodò ne in ventriculo corrumpatur, idque donec ad ℥ viij menſuram peruentum ſit, quàm integrum menſem continuare fuerit ex vſu. Corrumpitur autem in ventriculo aliàs aceſcens, aliàs velut aſſatum: quod diſtinguetur nidoroſo & acido ructu. Si aceſcat, parum mellis aut ſacchari miſceatur: ſi vritur, aqua dilutum lac ſufferueſiat ac ita propinetur. Exhibendum id eſt mane 4. ſaltem horis ante prandium. Si ex eodem prandere velit æger, mica panis ſæpiùs lota indatur. Ex idoneis etiam alimentis eſt cancrorum & aſtacorum fluuiatilium caro ex aqua hordei cocta. Marini etiam cancri proderunt, ſi priùs teſta liberati diligenter lauentur, hordeacea diu macerentur, & in eadem coquantur. Præterea teſtudines nemorales vnicè commendantur cùm aliis modis præparatæ, tum in electarij ſolidi forma, quod noſtri *Tortugatum* (Latinè diceres teſtudinatum) appellant. Sic verò deſcribi ſolet:

♃ carnis teſtudinum nemoralium o- Teſtudinatum.

ptimè lotarum & elixarum in aquæ decoctionis hordei ℔ ß. farinæ hordei optimi quart. i. amygdalarum dulcium & pineorum recentium an. ℥ j. ſeminis melonum & cucurbitæ recentis an. ℥ ß. Semina minutiſsimè inciſa macerentur decoctione carnis teſtudinum contuſæ: carni miſceantur cum farina. Deinde omnia excipiantur prædicto iure, addēdo ſacch. albiſs. ℥ iiij. fi. paſta de qua formētur boli ad inſtar pineolati, iique in furno tepidiore coquantur.

Ex iam dictis colligere licet cōuenientiora hecticæ febris alimenta eſſe duorum planè diuerſorum generum, nempe eorum quæ facilè & quæ difficilè concoquuntur. Ac priore quidem loco lactis genera varia numerauimus quæ facilè & mox alterantur, ſed liquiditate ſua & tenuitate citiùs diſtributa ſui corruptionem anteuertunt, cùm nullibi diutiùs immorentur. Nam etſi alimentorum id genus celer quoque ſit diſsipatio, quia tamen vires eadem ſubitò recreant & inſtaurant (non quòd attractricem vim imbecillam habeant febre hectica laborantes, vti quidam exiſtimāt: nam ſatis attrahunt calefacta corpora, ſed mox abſumunt & diſsipant) hîc perbellè conueniunt.

niunt. Sed quoniam aliis prætereà opus eſt quæ ſolidius præbeant alimentúm, vti quæ difficiliùs coquuntur & vbique maiorem moram faciẽtia ſui corruptioni reſiſtere poſſunt, talia etiam poſteriore loco recenſuimus, nempe teſtudines, &c. Reliqui cibi his, & intemperie calida ſimplici laborãtibus ferè ſimiles conueniũt: hordeatum, ius pulli gallinacei alteratum portulaca, lactuca & aliis quæ refrigerãdi ſimul & humectandi vim habent. Potus frigidiuſculus eſſe debet, non item frigidiſsimus, ob viſcerum imbecillitatem: aqua nimirùm & ſyrupus aliquis refrigerans humectánſque. Somnus etſi humectando refrigerat, tamen febricitantibus non ita conuenit, proptereà quòd ſanguinem & ſpiritum circà cor magis detinet, vnde calidius ipſum ſemper euadit, quod refrigerari potiùs debeat rei calidæ auerſione facta, vt per vigilias fit. Verùm hæ alia ratione plurimùm nocẽt, ſcilicet dum in functionum animalium exercitio multum abſumitur ſpirituum, proindéque ſanguinis tenuiores melioréſque portiones exhauriuntur, humores euadunt acriores, & corpus factum aridius calorem longè mordaciorem experitur. Itaque viciſsim dormiendum & vi-

gilandum eſt, atque niſi interna aliqua inflãmatio ſubſit, prolixior ſomnus confert: in hectica verò maximè ſi vnquam aliàs, quòd in ea ſiccitas caliditate nocentior animaduertatur.

Ad alui fluxum.

Si eſt alui fluxus (qui non rarò accidit) parcendum humectantibus: & tùm demùm refrigerantibus modicè aſtringentia miſceri debent, donec ſymptoma ceſſarit. Eam in rem conueniet Syrupus de roſis ſiccis, myrtinus, cydoniorum & ſimiles, ptiſſana colata ex hordeo torrefacto, vel oryza eodem modo præparata, & imprimis auenatum quod alui fluxiones egregiè ſupprimit. Ad hoc tempus conuenientiſsima erit gelatina ex pedibus vitulinis, hœdinis aut ſuillis, addito ſantali rubri momento & aceto roſaceo quantum vix guſtu deprehendatur. Si nõnihil gummi tragacãthæ iniiciatur, multò præſtãtior erit. Conceditur etiam caſeus recens minimè ſalitus, & panis bene lotus (vt fermentum & ſal amoueantur) iuri extremitatum gallinæ vel capi incoctus.

Virium ratio eſt habenda in grauiſsimis quibuſque morbis, qualis ſanè hectica meritò cenſetur. Itaque inſtaurãtia vocata, deſtillata, colatitia, & expreſsiones carnium

carnium negligi non debent, præſertim, quando proſtrata penitus eſt appetentia & morbus ad extremum inclinarit. Fient verò inſtaurantia & iucundiſsima & vtiliſsima modo ſequenti:

℞ iuris gallinę aut capi perfectè cocti ℔ ß. aquarum bugl. acetoſæ & roſ.an. ℥ ij.conſ. viol. nyphææ & flor. cich.an. ℥ j.pulu. elect. triaſantali ℥ ß. diamarg. frig.ʒ iij. folia auri inciſa N.vi. miſce:diſtillētur in balneo Marię per alembicum vitreum.Aqua ſtillatitia propinetur inter duos paſtus ad quantitatem ℥ iij. Inſtaurās.

Si frequētior eſt ſyncope,ob ſpirituum paucitatē videlicet,ea imminente concedatur vini oligophori parum. Aliàs vinum ex malis granatis expreſſum conueniet dulcacidum: quòd ſi natura eiuſmodi non fuerit,ſed acidum, ſaccharo dulcoretur. Syncope.

Porrò dum prędictis ſymptomatis cōſulimus,interim febris negligenda nō eſt, cuius ratione proderit vti præſcriptis ſyrupis, opiatis & tabellis refrigerantibus: atque ſi aluus aſtrictior fuerit, (vt pleriſque eſſe ſolet præ nimio & aſsiduo calore inteſtina & vniuerſum abdomen torrefaciente) clyſteres qui refrigerando humectent præſcribemus. Fuerit hic Curatio ipſius febris.

eiuſmodi:

Clyſter. ℞ 4. herbarum emollientium, id eſt, maluę althææ brãchæ vrſinæ & violariæ an. M. i. ß. fol. borrag. & lactucæ an. M. i. prunorum dulcium paria viij. ſ. melonum & cucurbitæ an. ʒ ij. flor. violæ & bugloſsi an. P. i. fi. decoct. In colaturæ quart. v. vel ℔ j. ß. diſſolue mellis viol. & ſacch. rubri. an. ℥ j ß. olei amygdal. dulciũ & chamæmel. an. ℥ ij. vitellos ouorum recentium N. ij. fi. clyſter: iniiciatur bis in hebdomade, vel quoties opus videbitur.

Hîc à catharticis abſtinendum, quòd vires ea non ferant, verendúmque ſit ne ab alui conſtrictione fluxus maximè formidandus contingat. Poſtremò topica nonnulla inſtituantur, quorum certè præcipuum eſt balneum quale initiò præſcripſimus: ſed paulò minùs refrigerans & humectans magis. Id verò tepidũ eſto, eíq; vt meliùs aſſueſcat æger, vaporē primùm experiatur linteo implicitꝰ & à quatuor robuſtis hominib. ſupra labrum detentus eo ſitu vt facilè reſpiret, & corpus reliquum bene obuolutum per lintei raritatem balnei vaporem ſentiat: quum id aliquoties repetitum fuerit & intermedia quiete homo vires ſatis reſumpſiſſe videbitur, aqua immergatur & in ea

Topica.

in ea pro virium ratione moram trahat. Obſeruent diligētiſsimè miniſtri, vt nulla corporis agitatione æger fatigetur, ſed ita molliter tractetur, vt nullus ei ſit labor dum aut è lecto ſurgit, aut labrum (quod lecto proximum eſſe debet) ingreditur, aut ab eo exiens lecto ſeſe accommodat. Sudor nullo modo excitetur, ſed cùm primùm linteamine ebibita eſt aqua corpus ſuauiter inungatur roſaceo aut nenupharino: quę olea ſatis ad præſens negotium poros coarctabunt, ne à balneo maius contingat effluuium. Neque opus eſſe video hac præſertim noſtra tempeſtate, vt in frigidum ſolium à tepido immittatur æger. Quippe frigida neruos non ſatis carne munitos peſsimè afficit, nec niſi bene carnoſis ac iuuenibus æſtate media (quando affectui competit) vnquam præſcribi debet. Denique fotus, vnguenta & epithemata priùs deſcripta ad lumbos, hepar & cor, vnde etiam reliquæ partes conſecutione quadam refrigerentur, hîc apprimè cōuenire poſſunt.

De febre diaria. Cap. II.

POST hecticam ſimpliciſsima febris ea eſt, quæ à breui duratione Græcis ἐφήμερος,

noſtris diaria nuncupatur. Nam vtplurimùm eo quo incœpit die penit⁹ ceſſat: rarò ad ſecundum aut tertium protrahitur. Ad hanc commodè referas σύνοχον non putrem dictam, quæ etiam quartum diem attingit & nõnunquàm prætergreditur, ob idque à Gal. ephemera extenſa aut plurium dierum vocitatur. Vtriuſque cauſam eſſe puto ſanguinis tenuiorem portionem accenſam, quæ ſpiritus, vapor aut halitus dici ſolet. Atque ſi conflagrare apta materies parcior fuerit & cordi impreſſa intemperies leuior, intra 24 horas ceſſat incendium: auctiores verò eædem cauſæ morbum longiorem faciunt. Ephemera proprias &, vt vult Gal. inſeparabiles tres notas habet. Harum prima eſt caloris ſuauitas: acris enim & mordax calor huic generi febrium inter alia minimè adeſt, eodem authore. Altera, quòd paucæ admodum ephemeræ inæqualitatem in vno pulſus ictu demõſtrẽt, neque ipſæ tamen ſatis apertè illam præ ſe ferant. Quippe arteriarũ motus in diariis penè aſsimilatur ſanorum pulſui, maximéque ſtatim à febre: cùm in nulla alia febre ad naturalem ſtatum reuertatur, ne ſi multum quidem temporis inter primæ acceſsionis finem & ſecundæ principium

Methodi Med. lib. 9.

Cauſa continẽs.

Signa. De febr. diff. lib. 1.

pium intercidat, vt in tertianis & quartanis: in quibus febris indicium remanet ex pulſus inæqualitate, etiam per vocatam ἀπυρεξίαν. Tertia eſt, vrina cōcocta qualis ſanorum aut certè non admodum ei diſsimilis, nec ſupra modum colorata, niſi fortè iis in quibus cibi potúſve calidiores diariam excitarunt. Hiſce notis accedit ægrotantis in tolerādo facilitas, quod ſignum tanquam ſigillum quoddam, vt ait Galenus, ſupra omnia alia ſigna febris lenitatē indicat. Inuadit ſine rigore, horrore aut frigore: ſoluitur madore vel ſudore aut humido quodam vapore exhauſto vtplurimùm. Omnibus naturis contingere poteſt, ſed iis frequentiùs quibus benignior ſanguis eſt & copioſior, dum ex occaſione manifeſta cor intemperiem calidam conceperit. Non placet quod nonnulli ſcribūt, ephemeræ opportunos eſſe τοὺς πικροχόλους, è quorum corpore quod effluit halituoſum non eſt, ſed acre & mordax fumi inſtar. Nam ſi per ſanitatem calor his mordax eſt, quomodo febricitantibus ſuauis & blandus percipitur, quam diariæ notam inſeparabilem iidem ſtatuunt? Lib. 1. ad Glauc.

Euidentes cauſæ diariam excitantes ſunt, ira, mœror, ſolicitudo, vigilia, labor Euidentes cauſæ.

immodicus & laſsitudo, inſolatio, vini meracioris potus & crapula, ciborum acrium vſus, inedia, cutis conſtipatio & denſitas ab aſtringente balneo vel repentino frigore, vulnus dolorificum, bubones (præſertim qui ex vlcere inferioris partis oriuntur, nec ſunt internæ inflammationis βλαςήματα) aut aliæ inflammationes externę dolorem inferentes quando ad ſuppurationem veniant. Cæterùm quænam ſit diariæ cauſa vel ægrotus ipſe declarabit, vel ex iis notis quas Gal. proponit deprehendetur. Quòd ad prognoſticum attinet, diaria curatu facillima eſt, cùm vel ſponte ſępiùs diſcutiatur: neque tam curationem quàm alterius grauioris morbi auerſionem expoſtulare videtur. Eſt enim facilis huius conuerſio in ſynochon plurium dierum febrem, aut aliquam aliam ex humoralibus (quas paſſim Galenus putridas nimia licentia nominat, partim continuas, partim intermittentes) aut hecticam, vt ſuprà diximus.

Lib. 1. ad Glauc. cap. 2. Prognoſticon.

Cauſæ euidentes mox ceſſent, atque, vt Gal. præcipit, contraria ſemper afferantur ei quod moleſtat: labori quies, vigiliis ſomnus, iræ, furori, ac triſtitiæ iucunditas ſermonum, actionum & ſpectaculorum,

Lib. 1. ad Glauc. Victus ratio.

lorum. Sic qui ex cogitatione laborat omnino ratiocinationes intermittat. Si dolor à vulnere in cauſa fuerit, mitigetur dolor. Si ex bubone acciderit, huius mitigationi ſtudẽdum ac multò magis tumoris aut vlceris vnde is traxit originem. Omnibus verò imperetur altiſsima quies tum corporis tũ animi: aër frigidiuſculus eſſe debet, tametſi ex cutis conſtipatione febris acciderit. Nam qui inſpiratur aër in quauis febre, refrigeret oportet, non itẽ qui reliquum corpus attingit: atque ideò aduerſus hunc licet operimẽtis bene munire corpus. De cibo & potu hîc non valde curandum eſt. Nam cùm in acceſsionib. abſtinere iubeat Hipp. diaria laborã- Aph. 19. tem ἄσιτον permanere ſatius fuerit, donec ſect. 1. hora qua ſolutum iri febrem ſperamus omnino præterierit. Sunt tamen quos vel initio febris huius cibare conuenit, nimirùm quibus ea contigit ex inedia, vigilia, coitu immodico & aliis corpora noſtra inanientibus. Alioqui profectò in febrem ardentem vel hecticam facilè incidunt, præſertim quando bilioſiores ſubſunt humores, vel corporis habitus ſiccior calidiórque fuerit. A cibis verò quales deſcripſi aduerſus intemperiem calidam ſimplicem (hîc e-

tiam] conuenientibus) febrilis calor retunditur & corpus humectatum prædicta pericula vitat. Præſtat autem ab initio quàm in augmento vel vigore cibum offerre, quo tempore ſcilicet minùs turbata eſt natura. Neque declinationem expectandam ſuaſerim, niſi abſolutam planè obſerues, poſt quam omnes tutò cibantur: ea verò inchoante ſi nutrias, poterit febris produci, quòd inſtans excretio per ſudorem madorem aut inſenſilem tranſpiratum differatur à nutrice facultate in ciborum coctione occupata. Potus verò tunc temporis maximè competit, aut circa ſtatum ſi vrget ſitis, quod tamen hîc rariſsimum eſt. Potionis materiam & qualitatem vt aliorum quoque omniũ quæ ad victus rationem pertinent conuenietem vſum anteà deſcripſimus. Præter quæ animaduertendum eſt vinum ὀλιγόφορον & verè aquoſum, (hoc eſt, album inodorum ac ferè inſipidum) non hac tantùm febre laborantibus, ſed etiam acuta non temerè à Græcis antiquioribus fuiſſe conceſſum. Nam id vt minimè calefacit, ita ſudores vrináſque promouet, per quæ morbi calidiores (ſiquidem materiales fuerint, vt vocant) magna ex parte ſoluuntur. Somnus qua ratione conueniat

niat aut noceat febricitantibus quibuſvis, in hectica monſtratum eſt. Porrò in diaria non alioqui neceſſarius, etiam noxius eſſe poteſt, cùm in centro diutius permanẽs calor velut ſopitus & conculcatus facilè in humores aut ſolidiorem ſubſtantiam graſſetur. Veruntamen quando ex diuturniore vigilia febris acciderit, ſomnus omnino conueniet, neque adeò prædicta incommoda verebimur.

Medicatio.

Supereſt vt cauſis in corpore manentibus quas euidentes excitarunt medeamur: cuiuſmodi ſunt crapula, capitis æſtus ab inſolatu & cutis conſtipatio. Crapula vomitione tollitur aut alui deiectione. Vomitionem verò procuramus affatim ebibita tepida cum oleo vel butyro rancidis potiùs quàm recẽtibus, à quibus ventriculus vi contentrice laxata nauſea affectus ſubuertitur. Proportio conueniens erit aquæ ℥ viij. pinguium vero ℥ ij. vel iij. atque tanta doſi opus eſt vt ventriculum magis laceſſant: alioqui facilè ab eo retinentur. Si velis potentius vomitorium, deſcribatur hoc modo:

Potio vomitoria.

℞ cortic. raphani ʒ ij. fol. atriplicis & maluę an. M. j, flor. anethi P. i. coquãtur in iure pingui. Cape de colatura ℥ viij. cui adde oxymel. ſimplicis ℥ ij. miſce. Aſſum-

pto vomitorio, altera manu ventriculi regio in gyrum confricetur, alterius index aut medius digitus gulæ immittatur quã altiſsimè fieri poterit, aut penna oleo inuncta fauces titillentur.

Si deorſum magis inclinat cruditas, eius excretio fiet promptior & commodior aluo clyſtere ſollicitata, qualem pro hectica febre deſcripſimus: ſed addatur antidoti catholicæ ℥ ß. vel ℥ j. quò expultrix facultas vehemẽtiùs irritetur. Exonerato ſarcina ventriculo leuior erit diaria, nec adeò ſuſpectus huius in humoralem tranſitus.

Aeſtuatio capitis ab inſolatu iis cedit remediis, quibus intẽperiem calidã eiuſdem partis nudam & ſimplicem deleri poſſe docuimus: neque talia vererer, etſi βράγχος aut κόρυζα ferè accidere ſolita aut in vniuerſum κατάῤῥυς inde prouenerit, ſi modò admouenda non multùm aſtringentia ſint. Quippe æſtus perſeuerans humores aſsiduè liquefaciendo aſsiduam faceret defluxionem: hãc verò ceſſare non multò pòſt quàm abolita fuerit cauſa eſt veriſimile. Inſignia autẽ aſtringentia tunc meritò ſuſpecta nobis ſunt, cùm fluxiliores euaſerunt humores: etenim compreſsione facta defluere pergũt.

Cutis cōſtipationi ſuo loco medebimur, vt anteà quoque ſumus polliciti. Balneis antiquitas plurimùm eſt vſa, quibus diarias febres nō tam curaret, quàm curatas aſſereret, earúmque in alterius ſpeciei febres conuerſionem præoccuparet. Nobis qui quotidianis balneis aſſueti nō ſumus, illa facilè negliguntur: fuerit tamen operæprecium, declinatione febris iam planè abſoluta, priuſquàm cibus cōcedatur, vniuerſum corpus molliter confricare manibus violaceo inunctis, ne quid fuliginoſorum excrementorum à febrili calore excitatorum intra cutem coaceruatum retineatur, quæ permanentis laſsitudinis cauſa eſſe poſsit. Pluribus explicāda non eſt febris diariæ pro variis admodùm cauſis curatio, cùm adeò parum affligat & ita breuis durationis ſit, vt rarò eius cauſa Medicus conſulatur.

De ſynocho non putri. Cap. III.

AB ephemera ad ſynochum minimè putrem vocatam decenti ordine progredimur. Eſt enim ſynochus hæc, vt anteà diximus ex ſanguine inflammato, cuius pars tenuiſsima flagrat, quam ſpiritū nuncupare poſsis: vnde Practicis noſtris haud in-

eptè ſynochus inflatiua dicitur, quia dû copioſioris ſanguinis pars tenuior accêditur & vaporem copioſum emittit, ægri quandam inflationem percipiunt. Gal. de genere ephemerarum ſynochon non putrem eſſe prædicat, & ephemeram extenſam nuncupare ſolet. Ab ea enim quæ vnico die contenta eſt ſola diuturnitate, non eſſentia aut ſpecie, differre videtur, vt ex eiuſdem ſcriptis licet colligere.

Lib. 1. de diff. feb.

Synochus triplex.

Triplex συνόχων ſpecies conſtituitur: vna ὁμότονος dicitur vel ἀκμαστική, altera ἀναβατικὸς ſeu ἐπακμαστικὴ, tertia denique παρακμαστική. Ὁμότονος. i. parem magnitudinis tenorem ſeruans quam in primo inſultu ſummam habuit (nimirùm quia verum principium & incrementum ob breuitatem percipi nequiuerunt) accidit, cùm non minus vaporis exhalat & diſcutitur quàm à calore febrili gignatur aſsiduè. Ἀναβατικὴ verò. i. perpetuò increſcens (quia principium nos latuit & ſtatus eſt breuiſsimus) fit, quoties plus ſuſcitatur fuliginis quàm diſsipetur. Contrà παρακμαστικὴ. i. ſemper decreſcens eſt cùm mox prætereunt principium, augmentum & ſtatus, quem vnum vix percipiunt æger & Medicus, & eundem ferè momentaneum; ab hoc verò perpetuò morbus

morbus minui deprehenditur. Nempe fuit ab initio plurimus ſanguinis vapor collectus ex materia citiſsimè accenſa, & quia recens alia non ſuggeritur, totus in declinatione morbus eſt.

Synochum ferè præceſsit corporis totius laſsitudo & membrorum velut confractio quædam, grauitas circa frontem & tempora cum narium pruritu, ſomnus ſolito longior per quem rubraſpectra appareant. Præſentis verò indicia ſunt, ephemeræ communia pleráque & vrinæ concoctæ, ſed rubicundiores & craſſæ. Pulſus eſt magnus, vehemens & æqualis, plenus, neque mollis neque durus, celer & frequens pro febris magnitudine: caput dolet, facies rubet, venæ ex tenſione laborant, corpus madet, fatuitas vel dulcedo linguæ imponit, æger ſe intumeſcere putat & ægrè reſpirat: perquàm rarò cum rigore vel horrore inuadit. Ei febri obnoxij ſunt adoleſcentes calidiores humidioréſque natura, ſucculenti & rubicundi, carnoſi & multo ſanguine affluentes, cùm denſo corpore fuerint aut etiam calidis excrementis referti, potiſsimùm verò hyeme aut verno tempore. Signa.

Fit verò ex ſanguinis copia in corde & proximis illi vaſis accenſi, dum ex cō- Cauſæ.

preſsione & coarctatione prohibetur debita tranſpiratio: vtplurimùm ex cutis conſtipatione aut labore vehementi fit, quibus fuliginis plus colligitur, quàm excerni queat. Aliæ etiam cauſæ diariam febrem concitantes hanc producunt, vbi vehementiores extiterint.

Prognoſticum. Poſt ephemeram abſolutè dictam ſecuriſsima breuiſsimáque eſſe videtur σύνοχος, dummodò ſimplex fuerit & promptum ſit auxilium. Nam ſæpiſsimè vno aut altero die contenta eſt, non raro ante quintum diem iudicatur: alioqui facilè in bilioſam faceſsit putrem vocatam, & diuturniorem & multò periculoſiorem. Scilicet quando ſanguinis vapor ac ſpiritus magna ex parte accenſus fuerit, bilis paulò pòſt ſimiliter conflagrat & totius ſanguineæ maſſæ quædam eſt ebullitio.

Curatio. Morbum curant & grauiorem alioqui futurum præoccupant præſentiſsima duo remedia, phlebotomia & ψυχροποσία. Phlebotomia intra primum triduum fieri debet, quãdo vires adhuc bene valent, & ſanguis feruore tantùm & copia peccat. Hora diei aut noctis nulla non conuenire poteſt, quando vrget neceſsitas: quippe verendum eſt, ne ſanguis ægrotantem ſuffocet, aut in partem aliquam princi-

principem irruens in ea φλεγμονὴν exci-
tet, πλευρῖτιν, περιπνευμονίαν, ἡπατῖτιν &c.
At cùm optio datur, matutinum tempus
eligendum eſt. Si pars nulla plùs aliis af-
ficitur, baſilica aut media brachij dextri
(omnium maximè communis) aperia-
tur. Quantitas ſanguinis hauriendi lipo- *Sanguinis*
thymia, quæ vacuationis ratione con- *miſſio ad*
tingat, non ſyncope abſoluta, vt Gal. tem *λειπο-*
poribus, definiri poteſt: maximè verò ſi *θυμίαν.*
æger idem remedium aliàs expertus fue-
rit & tunc robur valeat. Sic enim febrem
mox iugulaueris corpore in contrarium
ſtatum ἀθρόως commutato ac refrigera-
to: atque eo remedio (vt ait Gal.) nemo
inueniat, quod vel ipſis ægris, vel naturæ
animal gubernanti iucundius vel vtilius
ſit. Adde quòd poſtmodùm alui deiectio
aut bilis vomitus ſuperuenire ſolet: quas
res ſtatim à toto corpore ſudores mado-
réſve excipiunt, vt idem refert. Si tamen
vires fuerint imbecilliores, aut ætas non
ſinat, partienda erit phlebotomia. Hanc *Obſerua-*
verò priuſquàm aggrediaris, duo ſunt *tio ante*
perpetuò obſeruanda: vnum, ne cruditas *venæ ſe-*
ſubſit: alterum, ne aluus conſtipatione la- *ctionem*
boret. Etenim in excreti ſanguinis locum *neceſſaria*
fæces & cruda penetrare poſſent ſangui-
nem hauddubiè conſpurcatura. Alui fæ-

ces deturbabimus clyſtere, qualem poſtremò deſcripſimus, iniecto per horas ſaltem duas ante ſanguinis miſsionem: cruditati verò, leniente medicamento, vomitu aut (ſi morbus det indúcias) inedia medebimur. Si tamen ſuffocationis periculum imminere videatur, præmitti debet φλεβοτομία: deinceps autem ventriculus & aluus inanientur. Quibus phlebotomiam non permittit vel ætas vel alia quædam exceptionis ratio, cucurbitulæ cum ſcarificatione admoueantur natibus vel omoplatis aut iiſdem locis hirudines applicentur: quod vulgo minus erit ſuſpectum, etſi iuſta ſanguinis copia exhauriri eo modo poſſit non minùs quàm phlebotomia. Verùm ſi ſponte erumpat ſanguis è naribus, vtero vel hæmorrhoidibus, naturæ motui ſuffragandum eſt, nec alia ſanguinis miſsio tentanda, nec quæ fit ſiſtenda, niſi immodica eſſe videatur.

Cibi xelibitio. Duabus horis poſt phlebotomiam, non priùs, cibetur ægrotus qualibus cibis anteà monuimus: nempe frigidis & humidis, à quibus ſanguis tenuior & inflammationi magis idoneus commodè incraſſabitur. Neque opus eſſe video, quod præcipit Auicennas, lentes ex aceto propinari

pinari, aut rhois vel oxyacanthæ fructus, cydonia aut alia aſtringentia miſceri opſoniis. Definienda verò eſt ciborum quãtitas, vt quando in futuro morbi ſtatu excretionem aliquam expectamus (ne natura quę tunc magis affligitur ab opere perquã neceſſario diſtrahatur, materiæ puta morbificæ concoctione ſecretione & expulſione) quò propiùs imminet ſtatus, eò tenuior victus præſcribatur, quod infinitis locis hortatur Hipp. Cæterùm hora particularis exhibendi cibi eſt, quacunque æger melius habet, vti ferè matutina. Quippe circa meridiem omnis æger ferè peiùs habet, veſpere autem peſsimè, vt Celſus annotat. Lib. 3. cap. 5.

Potus ſit aqua frigida ſanè largiſsima, cùm à ſanguinis miſsione prorſus extincta febris nõ fuerit: aut frigidæ aquæ ſyrupi eiuſdem naturæ anteà recenſiti permiſceantur, ſi cui frigida fuerit ſuſpecta, vt certè multis eſt, aut aliquid eorum quę Galenus obſeruare docet, frigidioris largiorem hauſtum diſſuadeat. Potus frigidæ. Lib. 9. Meth. med.

Somnus, vt in ephemera, nocere poteſt, niſi quando iam miſſus eſt ſanguis, & refrigerato corporis habitu æger cibum aſſumpſit. Tunc ſiquidem maximè iuuat ſomnus, vel eo nomine vt ſpiritus ſuffi- Somnus.

ciantur in eorum vicem, quos plurimos diſsiparit phlebotomia. Cur verò mox à ſanguinis miſsione dormiendum non ſit, pauci aſſequuntur, omnes tamen præcipiunt. Auicennas rationem affert, ne ex motu humorum ad exteriora propter phlebotomiam & introrſum propter ſomnum in membris fiat confractio. An potiùs dicẽdum, quia ſanguinem à viſceribus reuellere ſtudemus, per vigiliam continuari incœptam reuulſionem, quæ duabus ſaltem horis bene compleatur? Quòd ſi exterior eſſet affectus, cuius gratia (quoniam ſanguis nimius partem aliquam obruit) phlebotomia inſtituatur: mox ab ea ſomnus permitti poteſt, vt à parte affecta magis recedat ſanguis. Quòd ad reliqua pertinet, repetẽda ſunt omnia ex curatione intemperiei calidæ ſimplicis ac nudæ.

De ſynocho putri vocata. Cap. IIII.

SYNOCHO planè ſpirituoſæ humoralis ſæpiùs ſuccedit, vt anteà diximus. Hæc ab illa hoc vno differt, quòd putredinis vel potiùs cruditatis notas habeat in pulſu & vrina, vt ait Gal. & calorem mordacem repræſentet; aliis enim indiciis cum antè

Signa.
Lib. 9. Meth.ca. 3.

antè dicta febre omnino conuenit, eodem authore. Attamẽ calor eſt intenſior, & vrina magis rubra turbidáque, pulſus velocior, & ſyſtole quàm diaſtole maior, quia fuligo, vt eſt vero ſimile, copioſior eſt. Eadem ratione expiratio inſpiratione eſt inſignior, lingua aſperior nigricat, & ex dulci nonnihil amaricat guſtus. Huic opportuniores ſunt, quibus ſanguis multus quidem, ſed bilioſior eſt: atque talibus naturis ab initio contingere poteſt vbi ſuprà dictę cauſæ affuerint. Aliàs ferè ſynochon ſpirituoſam ſequitur, quãdo poſt duos tréſve aut quatuor dies accenſus ſanguis bilioſior euaſerit, vnde acrior quoque percipitur calor, & iam maiorem noxam ſuſtinente natura magíſque ac magis conturbata, cruditas apparere incipit. Synochi huius bilioſæ triplex eſt differentia, vt alterius: ſed in hac multò euidentior.

Bilioſam verò ſpirituoſa diuturniorem & periculoſiorem eſſe anteà monuimus. Quinimò & in καῦσον ea facili negotio degenerat, vbi aliquandiu perſeuerarit: ſiquidem bilis iam copioſior ex ſanguinis vſtione (non tamen extrema) & ſincerior collecta ardentem febrem excitare poteſt. Omnium deterrima eſt, quæ per- Progno-ſticon.

petuò increſcit: ab hac verò, conſiſtens: minimè omnium periculoſa decreſcens mox ab initio. Peſsimum iudicatur ægrum maiore inquiete fatigari, dyſpnoea multùm infeſtari, ventrem inflari atque rugire, puſtulas nigras aut liuidas apparere, ægrum inuoluntarias lachrymas profundere, aut à ſomno laborem ſentire, præſertim quando iam maximis remediis eſt tentata curatio.

Curatio. Hæc verò febris cum ſuperiore omnino conuenit & in victu inſtituendo & aliis modò explicatis, necnon in ſanguinis miſsione vſque ad lipothymiam facienda ſi vires permittant. Sed hæ quoniam hîc quàm in ſuperiore affectu ferè imbecilliores ſunt; parciorem quoque ſanguinis miſsionem præſcribēdam ſuaſerim. At hîc negligenda non videtur

Purgatio. purgatio, cùm adſit κακοχυμία, cui non prorſus medetur venæ ſectio: altero tamen horum, quæ extrema remedia vocãt Hipp. & Galenus, ferè contenti eſſe poſſumus, hoc eſt, ſanguinis miſsione nunquam in febribus continuis omittenda, ſi

Meth. lib. 9. cap. 5. Galeno credimus: niſi materia admodùm copioſa & veluti furens leuiorem ſaltem purgationem deſiderari inſinuet. Ad hoc ſufficiet clyſter vltimò preſcriptus, quem

etiam

etiam φλεβοτομίαν præcedere decet: aut vnum ex iis καθαρτικοῖς quæ aduerſus calidam hepatis intemperiem deſcripſimus: his enim commodè minuetur morbum fouens materia, cuius inſignior reiectio ad tempus κρίσεως expectanda venit, quādo planè maturata ſubactáque naturæ conatibus cedet. Cæterùm, vt id ſemel admoneam, ex minoratiuis anteà deſcriptis ea maximè hîc cōueniunt quæ Rhabarbaro carent & alio quouis aſtringente: quia maior expurgatio futura expectatur vel à natura vel ab arte. Corpora verò quæ purgare oportet fluida eſſe debent: quò fit vt ab initio aſtringētia damnemus, eadem probemus in poſtrema euacuatione. Sed de hoc plura in tractatu noſtro de ſyrupis. Eſt autem minoratiui aſſumēdi hora cōueniens diluculum, idque poſt φλεβοτομίαν duplici nomine: tum quia magis vrget minuendi ſanguinis occaſio, tum quia minùs prudenter purior iam factus ſanguis emittitur. Præſtat ſanè impuri ſanguinis portionem haurire, quod verò ſupereſt expurgare medicamento. Hæc niſi intra primum triduum fiant, commodus purgationi locus non dabitur. Poſtmodùm præſcriptis refrigerantibus humectantibúſque ſyru-

Minoratiua quæ cōueniāt & quādo.

pis vel opiatis, vel ſolidis electariis vtemur, quibus febrilis calor retundatur. Sic enim humorum coctio maturatióve acceleratur, quam temperatior calor efficere natus eſt, vt igneus deprauare. Solent plerique inconſulti poſt minoratiuum medicamentum ſyrupos ad tres vel quatuor dies præſcribere, quibus tranſactis propinant fortius *καθαρτικὸν* eradicans aut electiuè purgans vocatum, ſæpè eo ipſo die quo futura eſt *κρίσις*, aut alia ſtatus parte, quanuis Hipp. vacuātium vſum vigente morbo diſſuadeat. Atque huius erroris occaſione fit, vt hodie criſes rariſsimæ obſeruentur, aut certè admodùm periculoſæ & difficiles. Nos officio noſtro abundè ſatisfeciſſe videbimur, ſi ſtatim ab initio quodcunque mouendum erit, ſeu ſanguinis miſsione, ſeu purgante medicamento vel vtroque modo, vti dictum eſt, mouerimus: deinde in refrigerationem & humectationem, qualem ſuprà deſcripſimus, omni ſtudio incumbentes naturæ conatum expectauerimus, indicibus & iudicatoriis diebus imparibus magis quàm paribus vſque ad decimum quartum (qui terminus eſt morborum ſimpliciter & exactè acutorum) ritè obſeruatis. Tùm porrò ſi natura morbo ſuperior

Sect. 2. aph. 29.

Hipp. 2. sect. aph. 23.

perior vicerit, nihil moliemur, eius ſententiæ memores: Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè non mouere, neque nouare quicquam aliud, ſiue medicamentis, ſiue aliis irritamẽtis, ſed ſinere. Iam enim conualeſcens & in ſtatu neutro, vt appellant, conſtitutus nihil aliud quàm pleniore victu refici poſtulat. Quòd ſi tamen criſis imperfecta videatur, & recidiuæ aliqua ſuſpicio ſit, morbi declinatio conuenientiſsimum expurgationis tempus fuerit: vt ſcilicet cùm natura non mouet, moueamus nos hora motus eius, authore Auicenna, aut etiam non ſatis mouentem naturam adiuuemus; quippe, vt optimè docuit Hipp. quæ relinquuntur in morbis poſt criſes, recidiuam facere conſueuerunt. In ſtatu ſi vires plurimùm deiectæ videantur, commodum erit inſtaurante ſtillatitio vti, quod aduerſus hecticam febrem deſcripſimus. Aliorum verò ſymptomatum quæ in ſtatu frequentiora vehementioráque ſolent eſſe, vti doloris capitis, vigiliarum aut ſomni profundioris, paraphrenitidis & cæterorum id genus ſublationem ſuo loco docebimus: vbi de iis quæ febres comitantur ſubſequuntúrve, febrium tractatione abſoluta, diſſeremus.

Hip. aph. 20. 1. ſect.

Hip. aph. 12. ſect. 2.

pag. 59.

De cauſo. Cap. V.

SEquuntur febres συνεχεῖς appellatæ: quarum prima omniúmq; maximè inſignis eſt. quæ plerunque καῦσος quaſi ardor & incendium, abſolutè interdum πῦρ.i. ignis, Latinis febris ardẽs ideò vocitatur, quòd ſit cæterarum omnium longè flagrantiſsima. Hæc alternis diebus exacerbationem habet manifeſtam, quæ in ſynocho bilioſa multò obſcurior eſt. Horis matutinis mitiorem eſſe huic proprium non eſt, vt quidam exiſtimant: cùm idem febribus aliis & fermè omnibus morbis commune ſit: quia tunc temporis aër frigidior eſt, & à ſomno vires aliquantum recreatæ. Itaque cibationi tempus id eſt conuenientiſsimum.

Celſ. lib. 3. cap. 5.

Signa. Signa παθογνωμονικὰ ſunt: calor acerrimus, ἄσαι.i. inquietudo vel anxietas, & iactatio corporis velut confracti, lingua arida, ſcabra & citrina vel nigra, ſitis inexplebilis & ἀνορεξία, circa ventriculum aut hepar mordicatio, δύσπνοια, alui excremẽta crocea: vrina deniq; tenuis valdè ruffa, ad liuidum inclinans. Inuadit ſine rigore vel horrore vtplurimùm, nonnunquam præcedit inſignis rigor valdè pungens; pulſus eſt frequens, velox & vt-

cunque durus. Superueniunt autem (quæ συνεδρεύοντα & κείλικὰ cēſentur ſigna) vigiliȩ, aut profundior ſomnus à craſsis vaporibus in cerebrū ſublatis, aut vigilandi impotētia ex defatigata virtute, delirium à quo non rarò φρενίτις vera & cōuulſio, cordis agitatio maxima, tuſsicula, vox clangoſa & pauca extremè ſiccato gutture, quod de lethalibus ſignis eſſe volunt. Nonnullis ſubinde rigor mouetur qui non fuit ab initio, ſudor leuis in fronte & clauiculis, alibi cutis valde arida. Corripit maximè πικροχόλȣς & repentè accidere ſolet.

Hanc verò febrem inferunt quæcunque intemperiem calidam excitare dicta Cauſæ.
ſunt, nempe ſanguinem inflammantia & quæ venas inaniendo exiccant: imprimis verò potus abſtinentia per maximos æſtus, vt monuit Hipp. Propinquior cauſa Lib. 1. de vict. rat. in morb. acut. ca. 5.
eſt, bilis ſincerior & retorrida, qualem vitellinam appellant: fieri etiam à ſalſa pituita innuit idem Hipp. de qua ſpecie nos Ibid. cap. 13.
in ſequentibus.

Καῦσος iudicatur celerrimè aut ad ſalutem aut ad mortem: & ſi fuerit exquiſitus, ſeptimum diem non tranſcendit. Is Prognoſticon.
eſſe videtur quem in tota Gallia non ita pridem ſæuientem vulgus *trouſſegaland*

nominauit, quia robuſtiſsimos quoſque & imprimis bilioſos prehēderet & necaret ocyſsimè. Quarto vel ſexto die (paribus inquam diebus) ſolet interficere, cùm à meraciori bile excitatur. Magnam verò partem hyeme periculoſior, vt etiã rarior, eſſe conſueuit. Peſsimum eſt ſignum, æſtus maximus cui non reſpondeat ſitis, vt & vigiliæ iuges ac delirium, inſignis mutatio coloris faciei, lentor circa dentes, vomitus & deiectio merè bilioſa, vrina tenuis, cruda, nigra & pauca cum aluo aſtricta, aut nimis lubrica. Pinguis excretio colliquationem denotat planè lethalem. Si nares ſtillent ſanguinis guttas, aut ſpontanea ſit illachrymatio, mors iure prædicetur. Peſsima quoque iudicantur, extremis partibus non admodùm calere, aut etiam frigere nec facilè calori priſtino reſtitui, atque diebus paribus exacerbari morbum: ante ſeptimum diem icterum apparere, aut ſudare & nihilominus increſcere febrem. Quòd ſi nihil prædictorum acciderit, vel omnia leuia aut pauca ſint, vel illis prorſus contraria concurrant, benè ſperandum: maximè verò ſi non admodùm fractæ ſint vires, mente conſtet æger & bene ſe habeat ad ea quæ offeruntur, partes

tes ad imum ventrem attinentes iuſtam craſsitiem habeant (quæ in quibuſuis morbis laudantur : in hoc verò potiſsimùm, quòd ſit grauiſsim9)& vrina circa diem quartum incipiat concocta videri. Iudicatur vtplurimùm excretione manifeſta, nempe hæmorrhagia, ſudore, vrinis, vomitu aut alui deiectione : idque omnino ſalubriter, tutò, perfectè & ex facili, ſi die decretorio poſt ſigna concoctionis eiuſmodi euacuationes fiant, & aliquo ex indicibus ſeu contemplatoriis diebus præſignificatæ fuerint.

Curationem aggredienti prima de victu ſolicitudo eſſe debet. Is porrò conuenit maximè refrigerans & humectans. Victus ratio. Ceraſa acidula & pruna perdigonia aut prunidactyla ſaccharato liquore macerata concedi poſſunt, & ex aceto lactuca priùs, ſi placet, elixa : ius pulli ex cucurbita recenti aut copioſa oxalide, cucumeres illi craſsiores anguriæ vocati : cucurbitæ caro, lactucæ truncus & vua immatura ſaccharo cōdita, ſed priùs diligentiſsimè lota, vt ſaccharum ipſum eluatur. Inedia nocet & omnino exquiſitus victus, quia humores facit acriores: potioni tamen multò magis indulgendum eſt, quàm cibo. Quando vires ad-

modùm infirmæ videbuntur, vt circa ſtatum (in quo etiam plenior victus concedi non debet) ſuſtineatur æger vſu ſtillatitij reſtaurantis anteà præſcripti: cui, vt magis refrigeret ac roboret, adiicies margaritarum ʒ i. ſi diues fuerit æger, fragmentorum pretioſorum, hoc eſt, ſapphiri, ſmaragdi, hyacinthi & granati an. ℈ i. caphuræ gr. iij. Aut, ſi placet efficacius habere & alterius formæ inſtaurans, quod totam ſimplicium componentium ſubſtantiam retineat, paretur ſequenti modo:

Cõditum reſtaurãs. ℞ conſ. acetoſæ viol. flor. borrag. & nymphææ an. ℥ j. carnis cucurbitæ & lactucæ ſaccharo conditę an. ℥ ß. vuæ omphacis ſimiliter conditæ ʒ iij. pulueris elect. diamarg. frigidi recenter diſpenſati ʒ ij. margaritarum ℈ j. fragmentorum pretioſorum an. ℈ ß. caphuræ gr. ij. ſacchari roſ. tabul. q. ſ. ad conſiſtentiam: fi. conditum ſeu reſtaurans. Inauretur quatuor auri panniculis. Capiat cochlear vnum frigidiſsima irroratum vel diſſolutum, quater aut quinquies ſingulis dieb9. Ad idem conuenit electarium ſolidum quod Manum Chriſti perlatam vocant, i. ſaccharũ roſ. tabulatũ additis margaritis.

Lectus ſit mollior, non tamen plu-

meus

meus: idem ſpatioſior conuenit, vt æger ſubinde locum commutare poſsit: tametſi eum præſtaret, quantum febris patitur, quietum immotúmque iacere. Amplior etiam conuenit conopei ratione, vt multus aër eo contineatur: prodeſt ſiquidem ore frigidiuſculum & liberum aërem haurire. Reliquum verò corpus pro temporis ratione bene contegi ſatius fuerit, vt ne qua parte alia frigus captetur. Lecti, ſtragula & linteamina ſint leuia & tenuiſsima, non aſpera neque ſordida: quin & quotidie aut alternis diebus commutentur roſarum aut violarum odore fragrantia. Obſcurum aërem commendat Hip. Nos etiam lucidiorem in calida intemperie damnauimus: hîc verò, quia interiora maximè vruntur, nec lucidus nec obſcurus proderit.

Sanguinem mox ab initio mittere pręſtat, iniecto priùs clyſtere (vt præmonuimus) quàm vti χολαφύγῳ medicamento: etſi bilis ſincerior & copioſior fuerit. Nam phlebotomia citiùs multò refrigeratur corpus, & febrilis ardoris furor compeſcitur. Neque verenda eſt bilis excandeſcentia maior, quòd ſanguis ſit choleræ frænum, vt Arabes dicunt. Nam in ea quæ ſupereſt maſſa, eadem Curatio. Error Arabum.

manet ſanguinis ad bilem proportio, quę prius inerat: aut certè parcior ſupereſt bilis, cùm ipſa, vt tenuis leuiſque eſt, aperta vena quàm reliqui humores promptiùs effluat. Sanguinem ad ſyncopen
Lib.9. Meth. vſque mittit Gal. ſi omnia conſentiant. Nos ne ad lipothymiã quidẽ vſque pręſcribemus, cùm non adſit πληθώρα, vt in ſynocho altera, ſed potiùs κακοχυμία: per quam quia vires omnino imbecilliores ſunt, contenti erimus ℥ iiij. vel ad ſummum ℔ ß. ad euentilationem. Si quid aliud diſſuadeat ſanguinem mittere è venis communibus, quæ anteà phle-
Pag.54. botomiæ ſubſtituenda monuimus adminiſtrabuntur. Diluculo ſequenti minoratiuum aliquod ex ſupraſcriptis exhibeatur, ſi turget materia: ſed neque vehementioribus ea eſt temerè exagitanda. Purgandum (ſiquidem neceſſe videatur) omnino die ſecundo: quippe tertius, quo exacerbatio fieri ſolet, minùs eſt opportunus: hoc multò minus dies ſequentes, vtpote vigori morbi propinquiores, quando ſymptomata ingraueſcunt. Expectanda eſt criſis, vti antè dictum eſt: quæ ſi non fiat aut imperfecta ſit, morbo iam declinante & robuſtiore natura fortius medicamentum propinabitur: erit

autem

autem fortius, ſi ſingulorum ſimplicium doſis augeatur, ac corũ maximè quæ vehemẽtiùs purgãt. Interim quia nimius ardor vẽtrem cõſtipat, vtplurimùm clyſtere, qualẽ initio deſcripſimus, alternis diebus vtemur, iis videlicet diebus quib9 minor eſt inquietudo. Refrigerãs verò magis & humectãs clyſter hoc modo parabitur:

℞ fol. lactucæ portulacæ nymphææ viol. vmbilici Veneris & aizoi minoris an. M. i. prunorum acidorum paria vj. carnis cucurbitæ interioris cum ſeminib. quart. i. flor. viol. & bugloſ. an. P. i. ſi. decoct. in aqua hord. In ℔ i. col. diſſolue ſacch. albiſſimi ℥ ij. ol. viol. ℥ iiij. miſce ſi. clyſter iniiciendus horis 2. aut 3. ante prandium. Clyſter.

Cæterùm quia humor tenuis mobiliſque, ſi natura vincat, facilè reiicitur, refrigerationi & bilis extinctioni potiùs quàm eiuſdẽ expulſioni ſtudẽdum eſt. Id fiet ſyrupis & aliis antè præſcriptis, quorum principẽ locũ tenet eſt aqua frigidiſ. largiùs hauſta, vel non apparentib. ſignis coctionis: dummodò ne vlla ſit internæ inflammationis ſuſpicio, viſcerum imbecillitas, aut quidpiam aliud eorum quæ Gal. excipienda docet. Syrupi conueniẽtiores ſunt acidi omnes, de limonibus, de accetoſitate citrij, de agreſta. i. de vua im- 9. Meth. med. cap. 5.

matura, acetoſus ſimplex & oxyſaccha-
ra ſimplex, de granatis & ſimiles. Item
ſyrupus & iulep violaceus, roſatus & de
nymphæa. Licet etiam vti in vehemen-
tiſsimo ardore & inquietudine, papa-
uerino. Si placet valdè refrigerans &
humectans deſcribere, fiat in ſequentem
modum:

Syrupus. ℞ ſuccorum lactucæ portul. oxal.
endiuiæ & borraginis depurat. an. ℥ ij.
feruefiant parum, deinde colentur: his
adde ſucci granatorum acidorum depu-
rati ℥ iij. ſucci limonum ℥ ij. ſacchari al-
biſsimi q.ſ. Coquantur ad conſiſtentiam
ſyrupi, qui aromatizetur ʒ j. ſantali albi
& ℈ j. trochiſcorum de caphura. Capiat
æger in duabus doſibus.

Alter verò paretur ad ſitim demul-
cendam efficaciſsimus, hoc modo:

Syrupus ad ſitim. ℞ ſucci cucurbitæ quæ maza obuo-
luta in clibano cocta fuerit ℔ v. ſacchari
albiſsimi ℔ iij. percoque ad ſyr. cōſiſten-
tiam. Efficacior erit ex ſucci anguriæ
crudæ expreſsi ℔ iiij. & ſacchari ℔ ij.
coctis ſecundum artem.

Epithemata & inunctiones præſcri-
ptæ ad cerebrum, cor & hepar, hîc cum-
primis vſurpari ſolēt: maximè verò cùm
ad ſtatum aut declinationem peruenit
febris.

febris. Priùs ſiquidem adeò tutum non eſt refrigerare admotis, vt potiùs verendum ſit, ne per ἀντιπερίστασιν ex cutis conſtipatione in viſceribus ignis magis accendatur. Verumenimuerò nonnunquam adeò vehemens æſtus infirmum debilitat, vt niſi aliquantum indulgeas mitigando ardori etiam per admouenda, peſsima inuadant ſymptomata, quæ ſanè cura non regulari vocata præoccupare ſatius eſt. Licet enim paulò pòſt noxam leuiorem illatam emendare. Quando ex vſu videbuntur, conueniet vnguẽtum ſequenti modo paratum:

℞ ol. roſ. ter quatérve loti roſacea ℥ iiij. ceræ candidiſsimæ ℥ ij. liqueſcant in vaſe duplici: vbi refrixerint, in aquam frigidiſsimam demergantur, móxque ſubigantur ſucco lactucæ aut ſemperuiui adde caphuræ ℥ ß. aut, ſi maior eſt feruor, opij ℈ i. Inungantur ſæpiùs in die hypochondria & lumbi. Thoraci illinendo conuenit idipſum, ſi loco roſacei violaceum aqua viol. priùs elotũ adhibeatur. Vnguentum.

Manibus contrectentur fruſta cucurbitæ vel cucumeris, mandragoræ poma, pilæ marmoreæ vel eburneæ, æneæ aut plumbeæ, folia lactucæ aut nenupharis, quæ plantis pedum etiam applicari

poſſunt. Neque abſurdum fuerit eaſdem partes frigida macerare, cui tãtillum vini aut aceti permixtum fuerit. Vniuerſum corpus etiam refrigeratur, ſi panni roſacea & aceto madentes genitalibus admoueantur, & fœminarum femoribus qua parte ſubiacent vena & arteria maiores.

Ad capitis ardorem. Aduerſus capitis ardorem, à quo facilè accidit παραφρενῖτις, proſunt quę anteà ad eum affectum propoſuimus. Iuuabit etiam non parum olfacere ſequentem liquorem in phiala agitatum:

Aqua. ℞ aquæ roſ. ℥ iij. aquæ nymphææ ℥ ij. aceti fortiſsimi ℥ i.ß. ſantali albi & rubri an. ʒ j. caphuræ ℈ i. miſce.

Porrò eius meminiſſe oportet quod modò præmonui, non eſſe vſquequaque tutum refrigerantium admouẽdorum vſum, maximè verò ab initio & in augmẽto: ſed neque prorſus aliis tẽporibus (mea ſententia,) niſi fortè in declinationis proceſſu cõueniunt: quia fuliginum hîc certè copioſiſsimarum liberam diſsipationem prohibeant, itáque febrem foueant diutius. Et placent quidem ægrotantibus ipſis appoſita, quandiu ſenſum frigoris exhibent: atqui paulò pòſt nocent, calore ex concluſione ardentiore facto, non aliter quàm aër frigidior incautè nudato

corpore captatus. Præſtaret, arbitror, capiti raſo, thoraci, hypochondriis &, ſi placet, pedum plantis admouere pulmones recens mactatorum animalium, aut catellos, pullos gallinarum aut columbarum per dorſi longitudinem diſſectos: quorum tepido calore igneus idémque febrilis æſtus temperatur, fuligines alliciuntur, ſicque per accidẽs refrigeratio multò conuenientior fit. Horum vicem ſupplebit hapſus lanæ vel bombacis oleo violaceo tepẽte imbutus. Verùm iſta patientes prudẽtioréſque decent: impatientibus & valdè moroſis illa, prædictione facta, concedentur. Os ſubinde colluatur frigidiſsima, cui tantillum aceti vini albi admixtum ſit. Si ore parumper contineatur ac ſubinde commutetur, magis refrigerabit. Ad idem faciunt lactucæ tenellæ foliola, portulacæ vel oxalidis rotundæ maiuſcula folia, & pomi teſſellæ roſacea vel ſimplici aqua frigidiſsima maceratæ, quibus omnibus ſitis etiã demulcetur. Alia verò quę peculiariter ſitim mitigent paulò pòſt in ſymptomatis exponemus: quo loco de vigiliis, delirio, ſyncope, ſingultu, tuſsi, corporis colliquatione, & aliis morbo huic ſuperuenientibus diſſeretur. Huc afferri & ea debent, quæ-

cunque ad ventriculi ardorem præſcripſimus: quippe febris ardens eo nunquã non comitari viſa eſt. Poſtremò ſi morbi quædam reliquiæ fortè ſuſpectæ fuerint, non tantùm deiectorio medicamento eæ vacuabuntur, vti prædictum eſt: ſed etiam frictionibus & vini albi potatione, qua hauddubiè ſudores & vrinæ promouentur: per hæc verò bilis expurgari ſolet. Quod ſi videatur neceſſe vrinas ampliùs prouocare, ſequentibus vti poteris:

Potio diuretica. ℞ rad. graminis, ruſci, aſparagi an. ℥ j. rad. petroſelini ℥ ß. foliorũ endiuiæ capill. Veneris beton. & ſenecionis aquaticæ an. M. i. quatuor ſem. frig. maio. an. ʒ ij. apij & dauci an. ʒ j. cicerum rubrorum P. j. fiat decoct. in aqua hordei perfectè cocti. Capiat ſingulis matutinis per duos tréſve dies ℥ viij.

Sudores prouocabis, non ſyrupo illo Diui Ambroſij dicto qui ex milio paratur, ſed potiùs decocto chynæ ſatis diluto. Nam iucundum eſt medicamentum & ſua tenuitate, nõ calefaciendi vi, ſudores egregiè mouet. In tres dies ea pręſcribetur ſequenti modo:

Sudorificum. ℞ rad. chynæ recentis (ea eſt grauis & ſolida, non carie pertuſa, pallidi coloris, nõ ruffa) quart. ß. In taleolas diuidatur

tur:in aquę pluuię ℔ vj.maceretur horas 12.deinde coquatur lento igne ſine fumo ad dimidias.Colaturæ adde ſacch.albiſs. quantum voles:aromatizetur ʒ ij. cinnã. tenuis.Capiat in diluculo tepidi huius liquoris ℥ viij.ac deinde corpus integatur paulò pliùs ſolito.

De Tertiana continua. *Cap. VI.*

TErtiana continua à cauſo tam paruo diſcrimine differt, vt peculiarem tractationem vix mereatur: συνεχὴς eſt, perĩde ac febris ardẽs, hoc eſt, non deſinit in ἀπυρεξίαν priùs quàm planè finiat morbus. Tertiana verò ex eo dicitur, quòd tertio quoque die exacerbationem habet longè manifeſtiſſimam. Id autẽ accidit ratione bilis flauę tenuioris, liquidioris ac mobilioris, q̃ ad incendij locũ alternis diebus ſeſe præcipitãs facilè conflagrat, & flãmã inſigniorẽ facit: ea verò portione abſumpta calor pſeuerat quidẽ, ſed remiſsior: donec quæ continuam facit etiam abſumatur. In cauſone verò craſsior ac retorrida bilis non tam euidentes facit irritationes: quin potiùs aſsiduam habet vehementiam, quæ tamen diebus imparibus paulò magis excandeſcat, dum ſcilicet alia bilis

Tertianæ continuæ cum ardente febre collatio.

ſoco ſuggeritur. Symptomatum quoque aliorum non niſi magnitudine inter ſe diſcrepant, quia in cauſo omnia ſunt acerbiora, frequentiora & periculoſiora, quemadmodum etiam calor eſt ardentior. Hinc ſequitur eiuſdem generis ſigna vtrunque affectum demonſtrare: &, quod ad prognoſticon attinet, cauſon eſſe ſuapte natura breuiorē (nihil enim adeò violentum diuturnum eſſe poteſt) & pernicioſiorem: ad hæc vtriuſq; curationē ſpecie inter ſe non differre, ſed hoc vno potiſsimùm diſsidere quòd, in ardēte febre ſummis remediis ocyùs vtēdū ſit, quoniā morbus non dat inducias. In continua verò tertiana tametſi quis nonnihil cunctetur, minus accedit incommodi, ac ita, vt quarto etiam die minoratiuum medicamentum poſsit exhiberi. Prætereà obſeruandum in victus ratione, cauſon magis refrigerantia & humectantia requirere, cibúmque paulò vberiorem, quanuis morb9 ſit acutiſsimus. In tertiana autem continua etiam ſi quis frugaliùs victitarit, ex eo nulla ſequitur offenſio: éſtque maximoperè cauendum, ne quo die maior eſt irritatio cibus concedatur. Siquidem rectè monet Hippocrates: In paroxyſmis eſſe abſtinendum, &c. At cauſo

Aph.11. ſect.1.

labo-

laborantibus quia familiaris eſt ſyncope, tùm præſertìm cùm ſit exacerbatio, in ipſo etiã exacerbationis tempore aliquid cibi offerre neceſſum eſt.

De Continua quartana. Cap. VII.

EST etiam συνεχὴς quotidiana quartana, quòd biduo remiſsior quarto quóq; die exacerbetur. Hu9 rei nō dubia cauſa eſſe poteſt, parcior bilis ſuccreſcens ad nouos paroxyſmos, vel eadem plurimo humori melancholico permixta, quam minoris famæ bilem Auicennas nuncupauit, quoniam rarior eſt eius generatio: vnde fit, vt quartana hæc ſit omnium febrium rariſsima. Cauſa.

Signa etiam præcipua ex quatriduanis paroxyſmis deſumuntur: in reliquis enim ferè cum aliis continuis conuenit, ſi de magnitudine ſeu vehementia detrahas. Accidit potiſsimùm conſtantis ætatis hominibus, circa autumni principium. Omnium continuarum longiſsima atque tutiſsima cenſetur: & longiſsima quidem, propterea quòd materiam habet magna ex parte craſſam & viſcidã, eámque ſimul copioſiorem: tutiſsima verò, quia vehementioribus ſymptomatis caret, & (vt rectè annotauit Celſus) in lon- Signa. Lib. 3. cap. 1.

,, gis morbis mutationi remediorum ac de-
,, liberationi tempus patet, adeò vt rarò, ſi
,, inter initia Medicus acceſsit, obſequens
,, æger ſine illius vitio pereat. In acutis ve-
,, rò magis ignoſcendum eſt Medico pa-
,, rum proficienti, quia breue ſpatium eſt,
,, intrà quod, ſi quod auxilium nõ profuit,
,, æger extinguitur.

Curatio. In curandi ratione multùm conuenit cum tertiana continua: ſed quartana refrigerantibus nõ indiget, quin potiùs vel temperatis, vel ad primum gradum calfacientibus, incidẽdi & attenuandi vi præditis: quod ſubiectę materię gratia fit. Eſt autem quando maior ſubiectæ materiæ, quàm febrilis caloris ratio habenda eſt, vt in hoc affectu, quem fouet humor (ſi cõparetur humori antedictas febres producẽti) frigidior, craſsior atque viſcidior: hic verò calorem febrilem ſuſtinet ceu lignũ viridiꝰ, nec priùs ceſſat febris, quàm ille vel vrendo abſumptus, vel expurgatus fuerit. Catharticis porrò fugantibus non cedit facilè contumacior materia, niſi bene attenuata & abſterſa, meatibus etiam optimè reſeratis: quæ profectò refrigerantibus cõmodè præſtari nequeũt, ſed temperatis, vel ad primum gradum calefacientibus. Quòd ſi intereà febris nonnihil

nonnihil increſcat, negligenda eſt noxa: cùm paulò pòſt, expulſa materia, longè maius commodum ſequatur.

Ergo victus ratio inſtituatur, ꝑ modò dictis indicationibus. Adultiores carnes hîc conueniunt, gallinarum, caponum & (ad voluptatem) iunioris verucis: pulli columbarum & auiculæ nemorales. In iuſculis decoquantur borrago, ſelini hortenſis folia & radices, vel ſummitates fœniculi, nonnihil meliſſophylli vel ocymi caryophyllati: quæ addita oxalide vel endiuia contemperentur. Cucurbita etiam, quia humectat (victus verò humidus febricitantibus omnibus debetur) cõfert, ſi modò frigiditas eius retũdatur momento piperis, aut alterius eiuſmodi aromatis. Ex fructibꝰ ſolæ vuæ paſſæ mũdatæ conueniunt, &, ſi aſtrictior fuerit aluus, pruna dulcia ex ſapa vel ſaccharo. Ad excitandam appetentiam & obſtructiones aperiendas conueniunt cappares ſine aceto: hoc enim melancholico humori nimiùm fauet, vt in tractatu noſtro de quartanæ generatione demonſtrauimus. Oliuæ etiam κολυμβάδες conceduntur, ventriculo roborando idoneæ. Potus ſit non aqua ſimplex aut ex ſyrupo aliquo refrigerante, ſed vinum ὀλι-

Victus ratio.

Cap. 8.

ne diſtrahatur. Si enim morbi ſolius ratio habeatur, cibus nullus conuenit. Hic ipſe verò potione liberalior eſſe debet, cũ minùs ſitiant ęgri, cõtrà quàm in cauſo, vbi potum cibo vberiorem conceſsimus.

Iam ad maiora præſidia eſt accedendum, quæ ſat eſt aggredi intra quartũdecimum aut viceſimum diem. Nã vt morbus vniuerſus eſt χρονιώτερος, ſic & principium longius habet. Sanguinis miſsio, quæ alioqui in omni aſsidua febre conuenit, hîc quàm in ſuperioribus parcior imperetur: niſi præter morbi conditionem aliud contemplemur, vt πληθώραν, quam ſemper excipimus. Nunc enim quantum poſſunt excogitari ſimpliciſsimos morbos curamus, cæterorum velut elemẽta. Ergo ſufficiet exhaurire ſanguinis ℥ iiij. præmiſſo clyſtere nunquam omittendo in febribus (quãdoquidem venæ tunc ſunt vel rapaciores vel imbecilliores) cùm phlebotomiam meditamur, etſi ſponte mediocriter deiiciat aluus. Poterit verò commodiſsimè in ſequentẽ modum præſcribi: Curatio.

℞ maluarum cum rad. parietariæ ciclę & mercur. an. M.i. ß. caric. pinguiũ paria viij. s. aniſi ʒ ij. florum chamæmeli & meliloti an. P.i. fiat decoct. In ℔ j. cola- Clyſter.

F

turæ diſſolue ſacch.rubri, mellis violati an.℥ j.diaphœnici ℥ ß.ol.aneth. ℥ iij.vitellos ouorum recentium N.duos:miſce.

Bolus. Die altera poſt phlebotomiam exhibeatur bolus ex antidoto catholica ad ℥ j.cum ſacch.vel potio ſequens:

Potio purgans. ℞ cathol. ℥ ß. diaphœn.ʒ ij.ſyr. violat. ℥ j. decoct. fol. borraginis & capill. Veneris ℥ iiij. vel q.ſ. fiat potio. Si moroſior eſt æger, paretur ius carnis laxatiuum,hoc modo:

Ius carnis laxatiuũ. Gallus rufus vetuſtiſsimus & pugnando aut vapulando maximè defatigatus iuguletur: coquatur ad articulorũ ſpontaneam diſſolutionem. Deinde ℞ iuris prædicti ℔ j.polyp.querni recentis ʒ vj. cartami orientalis contuſi ℥ ß. caricas pingues N.4.vuarum paſſarum exacinatarum paria vj. s. aniſi ʒ ß.ſalis communis ʒ j. coquantur ad conſumptionem dimidiæ partis. Ius colatum ſorbeat diluculo.

Si non ſatis mouerit vna vice, ſequenti die & (ſi neceſſe videtur) tertio quoque, ſed vitato paroxyſmo, ſimile iuſculũ aſſumat: vt pluribus vicibus id iucundiùs ac ſine moleſtia præſtetur, quod vna iniucundiùs fieri ſolet. A ſenna abſtineo, quia ingrati ſaporis eſt & nimis exiccat.

Cætera

Cætera verò hîc præſcripta non tantùm pituitã, ſed craſſos quoſuis humores fugare poſſunt.

Diminuta iam materia Iulepi vocati in ſeptem vel octo dies præſcribantur, ex ſyrupis ſuperiùs recenſitis dilutis decocto maioranæ vel hyſſopi, meliſſæ, ocymi aut alterius cardiacæ vel cephalicæ herbæ, vt vocant, nunquam omiſſa borragine. Proportio erit ſyrupi vnius ℥ ij. vel duorum an. ℥ j. cum ℥ iiij. vel ℥ v. decocti herbarum: vel fiat ſyrupus huiuſmodi: Iulepi.

℞ glycyrrh. recentis & raſæ, radic. bugloſſ. ſelini hortenſis & aſparagi an. ℥ j. herbarum capillarium communium, bugloſſ. borrag. & vtriuſque cich. an. M. i. fumariæ, meliſſæ, ſampſuchi & ſaluiæ an. M. ß. mercurialis tertiam partem Manip. vnius, paſſarum mundartaũ paria x. prunorum dulcium & caricarum pinguiũ an. paria vj. s. aniſi & fœnic. an ʒ j. ß. ſeminum melonum & cucurbitæ an. ʒ ij. florum cordialium, geniſtæ & tamaricis an. P. i. florum ſaluiæ & roriſmar. an. P. ß. fiat decoct. In ℔ j. ß. colaturæ diſſolue ſacch. albiſs. q. ſ. mellis viol. ℥ iiij. ſucci prunorũ dulciũ depurati Syrupus.

quart.i.fi.ſyr. clarificatus. Aromatizetur ʒ j.diarrhod. & ℈ j. ſpicæ nardi.Capiat in 4. doſib. & reiteretur ꝑ aliis quatuor. Deinde expurgetur humor præparatus ſupraſcripto medicamento,cui adde confectionis hamech ʒ j. & ad dies ſequentes parentur opiatæ vel tabellæ alterantes,quæ non ita refrigerent quemadmodum hactenus vſurpatæ, & ad humoris extenuationem faciant.

Opiata. ℞ conſ. ſcolop.cõſ.florum borrag.& violarum an.℥ j.conſ. capillorum Veneris, florum tamaricis & geniſtæ an. ℥ ß. conſ. florum roriſmar.& ſaluiæ an.ʒ ij. pul.diamarg.frig. ʒ j. ß. diarrhodon ʒ j. cum ſyrupo conſeruationis corticum citrij fiat opiata.

Electariũ teſſellatũ. ℞ pulu.diarrhodon ʒ ij.diamarg.frig. ʒ j.conſ. ſcolopend. & florum tamaricis an.ʒ ß.cum ſaccharo albiſsimo diſſoluto aqua fum.q.ſ.fiat electarium per tabellas pond. ʒ ij.

Hæc vſque ad tertiam aut quartã hebdomadem continuabuntur: quo quidem tẽpore niſi finiat morbus, purgatio rurſus inſtitui debet ſupradicto modo, ſed breuior: vt ſcilicet poſt minorans pharmacum ſyrupus ad quatuor dũtaxat dies paretur: deinceps verò medicamentum purgans

purgans nō exhibeatur præter clyſteres, quia morbus ad ſtatum accedit. Vnde reliquum tempus in opiatis aut tabellis vſurpandis vel zulapiis antedictis magna ex parte inſumi debet. Facta iam criſi vel abſceſſu (nam ſæpiùs hoc quàm illo modo finiunt febres diuturnæ) vt omnis reliquiarum ſuſpicio tollatur, ſi vires robuſtiores iam eſſe videbūtur, præſcribemus vltimum catharticum : in quo aſtringentia non deerunt, vt partes diuturni caloris febrilis vi laxatæ & eneruatæ robori ſuo reſtituantur. Ad hæc maximè faciunt compoſitiones quæ myrobalanos recipiunt, vt confectio hamech & ex ſimplicibus rhabarbarum integrum.

♃ confect. hamech. ʒ ij. rhab. electi ʒ j. ß. ſyrupi roſ. laxat. ℥ j. decoct. cich. prunorū dulcium, glycyrrhizæ & aniſi ℥ iiij. miſce: fiat potio. Catharticon.

Diebus ſequentibus, quando febris bene ſedata fuerit & integra erit ἀπυρεξία, vires confirmētur vſu elect. diarrhodon, diambræ, diamoſchi dulcis, diagalangæ, lætificantis Galeni, plyris archoticon, & ſimilium. Atque intereà frictionib. medicamentis diureticis & hydragogis vel ſudorificis exhauriantur fuligines ac reliquiæ morbi tenuiores, à quibus non ex-

purgatum corpus cibos etiam laudatiſſimos deprauare poteſt, ſicque & tardiùs ipſum reficitur atque inſtauratur.

De continua quotidiana. Cap. VIII.

SVpereſt vt de continua quotidiana, quæ Græcis ἀμφημερινὴ dicitur, agamus. Hanc eſſe puto quam Hipp. ſtatuit ardẽtem ex pituita ſalſa. Dixerim tamen potiùs fieri ex bile pallida quæ pituitæ particeps cenſetur (cuiuſmodi φλέγμα ſalſum eſſe putat Auicennas) pueris & mulieribus admodùm familiaris, quibus etiam frequentiùs eiuſmodi febris accidere ſolet: vel à bile pituitæ miſta, quam bilem maioris famę idem appellauit. Habet hæc febris quotidianas exacerbationes, quia copioſior eſt bilis pituitoſa: & cùm facili negotio multa quotidie gignatur quibus eſt familiaris, ad focum ſubinde perueniens frequentes facit paroxyſmos, vt nõnunquã bis vno die irritationem cõmittat. Quartana continua tantò mitior eſt, quantò illa tertiana: proinde nõ alia ſigna quàm ſupradicta quæri debent, ſi modò remiſſiora conſiderentur. Similes quoque ſunt cauſæ ſola magnitudine differentes. Nam plures & grauiores quotidianã excitant,

Cauſa. Signa.

cùm

cùm materia ſit ad vrendum difficilis &, vt ita dicam, virentior, quemadmodum tertianam continuam fouens accenſu facilis eſt. Eadem ratione poſt quartanam maximè diuturna eſt quotidiana continua, & ſæpe quadrageſimum diem excedit: non tamen periculoſa deprehenditur, nec alioqui vehementia habet ſymptomata. Capitis dolor grauis plùs cæteris vrget, & de caro vel comate grandius eſt periculũ, quàm de aliis ſymptomatis.

Minùs refrigerans minúſque humectans victus hîc conuenit: plenior verò ab initio inſtituendus, quia morbi vigor multò pòſt futurus eſt. Quòd ad præcipua remedia attinet, phlebotomia parcior, quàm in prędictis febribus cõtinuis, dempta quartana, eſſe debet, ſed largior purgatio: cúmque morbus ſit diuturnior, ſufficit intra primæ aut alterius ſeptimanæ terminum phlebotomia & purgatione minoratiua vti: quanuis certè præſtaret mox ab initio horũ vtrunque præſcribere. Itaq; priùs iniecto clyſtere mittatur ſãguis, vt in quartana ad ℥ 4. pl⁹ minùs ꝑ ægri viribus & plethora: deinde propinetur καθαρτικὸν ex iis quæ pituitã bili permixtã aut bilẽ pituitoſã expellũt. Huiuſ- Curatio.

modi eſt ſequens:

Potio cathartica. ℞ diaphœn. vel diacartami ʒ ij. diaprunis ſolutiui ʒ j. ß. ſyrupi violati ℥ j. decoct. betonicæ & capill. Veneris ℥ iiij. miſce: fiat potio, quæ detur in aurora.

Rhabarbaro nũc vti nolumus ob cauſam paulò antè explicatam, vti neque ſyrupo roſato laxatiuo. Hîc non parum ſuſpectæ ſunt obſtructiones, id eſt, veremur ne meatus, per quos liberè excerni debent bilis & pituita, horum viſciditate & craſsitie coarctati & occupati ſint, indéque pendeat febris occaſio: dum ſcilicet eiuſmodi humores iam excrementitij velut regurgitantes in vena caua aut arteria magna ſunt copioſiſsimi. Quamobrẽ diminuta materia & iis ſuperfluitatibus expulſis quę ventriculum & inteſtina replebant, ſyrupus aliquis leuiter attenuans, incidens & abſtergens magis quàm refrigerans præſcribetur: vt corpus euadat fluxilius, & morbi materia expulſioni aptiſsima fiat. Quando natura tandem illam aggredietur, haud cathartico profliganda erit. Atque id eſt, quod noſtri coquere humorem dicũt: & huius gratia digeſtiui, vt appellant, ſyrupi deſcribuntur. Hîc conuenient ab

Syrupi materiam expulſioni præparantes.

initio

ab initio ſyrupus acetoſus ſimplex & de byzantiis:deinde acetoſus cum radicibus, oxymel ſimplex aut compoſitum, & ſimiles. Nos ſequentem præſcribemus vtendum frequentérque, ſi videbitur, repetendum vſque ad morbi ſummum vigorem: in quo planè quietem habere ſatius eſt.

℞ radicum graminis, ruſci, aſparagi glycyrrh. recentis & raſæ an. ℥ i. vtriuſque adianti, polytrichi, endiuiæ & cich. ſcariolæ & roſtri porcini an. M. i. agrimoniæ, betonicæ, hyſs. maioranæ an. M. ß. comarum abſinthij & menthæ an. tertiam partem M. i. vuarum paſs. à gigartis, id eſt, vinaceis mundatarum paria 12. prunorum dulcium paria vj. 4. ſem. frig. ma. contuſorum an. ʒ ij. aniſi & fœniculi an. ʒ i. cicerum rubrorũ, florum borraginis & bugloſsi an. P. i. florum ſtœchados & ſaluiæ ana P. ß. fi. decoct. Cape de col. ℔ ß. ſacchari albiſsimi q. ſ. mellis anthos. ʒ iij. oxymel. ſimpl. ℥ ij. pulu. diarrhodon ʒ j. ſpicæ nardi & ſchœnanthi an. ℈ j. fi. ſyrup. clarif. & arom. ſecundum artem. Syrupus.

Febris hæc nonnunquam ſoluitur viceſimo die: aliàs & ſępiùs quadrageſimo: nimirùm cùm diuturnior ſit morbus, pa-

lis violati appone mel mercuriale, quia pituitoſus humor vim expultricem hebetat. Poſtremò ſi inclinet morbus abſque inſigni aliqua excretione vel abſceſſu, medicamentum purgans cui rhabarbarum inſit propinabitur, modò vires ferant & coctionis indicia minimè obſcura ſint.

℞ capillorum Veneris & beton. an. M. i. comarum abſinthij & fumar. ana. M. ß. tamarindorum electorum ℥ ij. cnici. i. cartami ℥ ij. s. aniſi ʒ. j. florum cordialium & roriſmarini an. P. ß. fi. decoct. ad ℥ iiij. Colaturæ infunde per ſex horas rhab. electi ʒ j. ß. agar. recens trochiſ. ℈ ij. leuiter expreſsis adde diaphœn. ʒ ij. ſyrupi roſ. laxat. ℥ i. miſce: fiat potio. Potio purgans.

Quòd ſi febris omnino deſiiſſe videatur, non vereor rhabarbarum integrum præſcribere, vt inſigniùs purget roborétque viſcera ex morbi diuturnitate laxata & eneruata. Diebus ſequentibus, donec prorſus vires reſumpſerit æger, ieiunus capiat aliquot horis ante omnē cibum tabulam vnam diarrhodon. Atque eodem tempore procuranda erit morbi reliquiarū expurgatio per inſenſilem tranſpiratum exercitatione aut

frictionibus,& per vrinas diureticis medicamentis, aut per ſudores ὑδραγώγοις: quæ hîc ſanè multò magis quàm in ſupradictis omnibus neceſſaria ſunt. Capitis grauitati & ſopori in febrilium ſymptomatum mitigatione prouidebimus. Hactenus de continuis febribus quæ ſimplices reperiuntur. Nam ἡμιτριταῖος compoſita eſt, vt ſuo loco dicemus, ex continua & interpolata. De peſtilenti verò, quæ ſemper continua eſt, nos quantùm ad præſens inſtitutum pertinet vel multò fuſiùs in tractatu de Peſte nuper edito ſcripſimus: tametſi præcautionem magis quàm curationem attigiſſe videamur. At curationis & præcautionis eadem propemodùm remedia ſunt. Iam ergo de interpolatis agendum, vt ſimplices omnes ordine continuato abſoluantur.

De tertiana intermittente exquiſita. Cap. IX.

Dec. 2. parad. 3.

OMnium febrium quæ humorales dicuntur præcipuam materiam eſſe bilem in Paradoxis noſtris apertè demõſtrauimus: & multiplicem earum differentiam naſci ex bilis cum aliis humoribus perquàm varia

varia commixtione,quę pro diuerſa proportione infinitos propemodùm acceſſionum ſeu exacerbationum typos excitat. Præterea quanuis eadem ſit cuiuſque materiæ quançunque febrem committentis ſedes aut, vt noſtri loquuntur, minera,tamen alias eſſe continuas, alias intermittentes, prout materia ſemel in corde & vicinis partibus coaceruata copioſior aut parcior nec non viſcidior craſſiórve aut tenuior fuerit. Hoc enim tantùm diſcrimine diſtinguntur continuæ tertianæ, quartanæ & quotidianæ ab intermittentibus eiuſdem cognominis. Enimuerò quòd hæ à frigore, horrore vel rigore incipiant, id eſſentialem differentiam non facit.Horum nanque ſymptomatum cauſa eſt humor affatim in cor irruens: quod ſi valdè æſtuans offendat, vt in continuis, primo appulſu nonnihil obtundit, hebetat & calorem duntaxat remittit mox vehementiorem futurum: non tamen ſic occupat aut circumuenit, vt rigorem (niſi dum finitura eſt febris ardens) vel horrorem, vel inſigne frigus committat: quod contrà fit in intermittentibus, quia per intermediam quietem cor temperatius euaſit, atque eius calor planè remiſsior ab inuadente humore

Intermittentium febrium à continuis diſcrimé.

aliquandiu obruitur. Attamen leuior quidam rigor ſemitertianæ & nonnullis ex continuarum genere competit, vt experientia docet & Gal.ipſe teſtatur. An potiùs dicendum interpolatæ cuiuſdam febris primam eſſe inuaſionem quæ mox à continua excipiatur, atque inde fieri vt rigor videatur continuam præcedere?

Lib. 1. ad Glauc.

Intermittentium febrium ſigna.

Ergo intermittentis febris indicium erit inuaſio cum frigore, horrore, vel rigore quam ἐπισημασίαν appellant. Reliqua ſigna cuiuſque ſpeciei ex ſupradictis colligi poſſunt: eſt enim eadem συμπτωμάτων congeries, ſed in continuis grauiorum quàm intermittentibus. Porrò harum omnium duplex natura cōſtituitur, aliarum quę γνήσιαι.i.legitimæ vel generoſæ & ἀκριβεῖς. i. iuſtæ vel exquiſitæ, aliarum quę nothæ.i.ſpuriæ & non exquiſitæ dicuntur.

Earūdem natura duplex.

Tertianæ legitimæ indicia.

Tertianam legitimam eſſe ex primo ſtatim paroxyſmo deprehendas, ſi (quod eius proprium eſt) cum vehementi rigore velut acri quadam re pungente inuadat, deinde feruor aut ardor excitetur multus & acerrimus, pulſus euadat magnus, vehemens, celer, frequens & æſtuans, omnis inæqualitatis præterquàm febrilis expers, quæ in vno pulſu deprehendi-

henditur. Vehemens ſitis vrget, maxima eſt inquietudo & iactatio, lingua & totum corpus aridiſsimum, vrinæ rufæ aut ſubrufæ: nam vehementer crudas eſſe. i. aquoſas omnino contrarium eſt tertianis, vt docet Galenus. Tandem euomitur bilis, (quod tamen proprium huius febris non eſt, vt idem putauit) vel ſudor erumpit. Eſt autem paroxyſmus lõgiſsimus vndecim vel duodecim horarum: frequentiùs quinque, ſex, ſeptem vel octo. Vbi febris conquieuit, relinquitur propria febrium in arteriarum motu inæqualitas. Hæc omnia ſi affuerint aut eorum maxima pars vel præcipua, certum erit febrem fore tertianam exquiſitam: idque multò magis, ſi ea tempeſtate plurimi tertianis eiuſmodi corripiantur. Eaſdem ferè cauſas habet quas febris ardens & prorſus iiſdem naturis conuenit: minimè verò periculoſa eſt. Quinimò, vt ait Gal. omnium intermittentium manſuetiſsima, vt etiam breuiſsima, deprehẽditur, quippe ſeptimum paroxyſmum nõ prætergreditur, ſæpè deſinit quarto: vix tamen ſine iecoris offenſione fit, quod multam & calidiorem bilem tunc ſuppeditat. Vrinæ incipiunt videri concoctæ tertio vel quarto die.

1. ad Glau.

Cauſæ.

Ibidem & comm. in aph 59. ſect. 4.

Victus. Victus maximè humidus & refrigerans vt in cauſo inſtituendus, quia bilis ſincerior huius fomes eſt. Gal. concedit ex auibus eas quę molli ſũt carne: ex aliis verò quæ tales non ſunt, alas: item gallorum teſtes, ſuum pedes & cerebella, porcellorum ſiue nefrendum carnes coquendo propè liquefactas, oua ſorbilia maximéque eorum lutea, quòd faciliùs q̃ albumina coquantur, & fructus quicunque non ſunt operoſæ concoctionis. Cibi verò copiam eſſe vult, quantam æger optimè poſsit concoquere: veruntamen parcior omnino eſſe debet, cùm legitima tertiana acutorum morborum naturam ſapiat: &, vt idem præcipit, ſi non multùm delicatus fuerit æger, ipſéque morbus breuior futurus, mox ab initio tenuior victus inſtitui debet, vt docuit Hipp. A vino prorſus arcet Galenus, donec morbus concoquatur: tunc verò paucum, tenue & dilutum concedit primùm, deinde liberaliùs, quando morbi ſolutio inſtat: vetuſtum verò & calidum natura vinum prorſus interdicit. Porrò in tota victus ratione plurimùm inter ſe conueniunt intermittentes febres omnes: quibus ideò ferè communia ſunt quæ ſequuntur præcepta. Plenior victus conceda-

Lib. 1. ad Glauc.

Aph. 10. ſect. 1.

Lib. 1. ad Glauc.

Victus rationis præcepta cõmunia omniũ intermittentium.

concedatur quibus diebus intermittit acceſsio, vt vires futurum paroxyſmum faciliùs ſuſtineant: in ipſa verò exacerbatione vel proximè hanc nihil propinandum, vt dum inani ventriculo febris corripiet, ipſa negotij minus faceſſat. Ergo tanto ante paroxyſmum tempore cibetur ægrotus, ſi hora conueniens eſt, quanto videbitur probè cõcoctus è ventriculo deſcendere poſſe. Id fuerit vtplurimùm ſex vel octo horarum quibus vigilat ſpatium: ac tùm quidem frugalior paſtus is eſſe debet. Si tamen æger delicatior eſſe videatur & ex bilis mordacioris ventriculum laceſſentis occaſione ſyncopæ obnoxius, hunc vel initio paroxyſmi tenui cibo, vt pulli iuſculo, reficere oportet. Conuenientiſſimum cibi tempus eſt, hora vna poſt exactam declinationem. Potationi verò indulgendum eſt in paroxyſmo: neque enim illius abſtinentia præcipitur: frequentior tamen & parcior nocet, quia febrem accendit magis. Præſtat vno aut altero hauſtu largiore contentum eſſe ægrotantem, modò is in acceſsionis vigore vſurpetur, non dum rigor, horror vel frigus viget, aut incrementum ſolicitat. Somnus iiſdem temporibus nocen-

tiſsimus eſt: neque verò priùs dormiendũ quàm adſit declinatio, per quã ſi obrepat ſomnus & futurus eſt ſudor, hic multò copioſior manabit, & ἀπυρεξία fiet exactior.

Reliqua febrium intermittentium curatio.

In cæteris obſeruetur quicquid aduerſus calidam intemperiem præſcriptum fuit. Et quòd ad euacuationem attinet, nulla paroxyſmi hora ea eſt molienda, pręter ſudorẽ in quibus iure is expectatur & vomitum, qui ſpõte aliàs finiente, aliàs inchoante paroxyſmo contingit externáque ope ſolicitãdus eſt, ſi quando fortè irrita & moleſta fuerit nauſea: quippe & breuior & mitior ab hoc fiet paroxyſmus. Quibus autem modis prouocetur, in ſuperioribus abundè fuit explicatum. Sed iam febris tertianæ legitimæ peculiarem curationem aggrediamur.

Peculiaris exquiſitæ tertianæ curatio.

Inſtituta probè victus ratione, à phlebotomia eſt incipiendum, perinde atque in febribus continuis. Ergo ſi aluus eſt libera, primo die quietis, non paroxyſmi, multò minus eiuſdem hora, ſanguis hauriatur pro viribus ægri & plethora ad ℥ vj. vel viij. Practici quidam verentur hîc ſanguinis miſsionem, quia putant tali remedio ex intermittente fieri continuam:

Practicorũ error.

quoniam ſcilicet humores bilioſi in corporis habitu quibuſdam horis putreſcentes,

tes,vt volunt,inanita vaſa ſubeat, in quibus deinceps illi putreſcant aſsiduámque febrem committant. Sed duplici nomine hallucinantur:primùm ꝙ materia febrilis nõ ſit diſtincta ſedibus, ſeu cõtinuas,ſeu intermittentes foueat, vt in Paradoxis abũdè probauimus. Deinde,quia ex ipſorum ſententia humor qui interpolatas febres excitat à maioribꝰ & minoribus vaſis in corporis habitum effluit. In illis ſiquidem continetur toto intermiſsionis tempore:hoc verò,non paroxyſmi tẽpore,ſanguis emittitur. Die ſequenti multò ante paroxyſmum, ſi tardior is futurus præuideatur, vt horis pomeridianis, medicamentum leuiter purgans cõcedi poterit. Hoc enim expulſa materiæ aliqua portione acceſsionem reddet mitiorem, modò ſit de iis quæ per ſe, non tantùm per accidens refrigerare poſſunt. Huiuſmodi fuerit quod ſequitur: Dec. 2. parad. 4.

℞ ſuccorum endiuiæ,cich.lact. viol. an. ℥ iij. coquendo depuratis infunde s. pſyllij ℥ ß. extrahatur muccago, cui adde medullę ſiliquæ AEgyptiæ recens extractæ in fumo decoct. prædictorum ſuccorum ℥ ij. pulpæ tamarind. ℥ j. s. aniſi ʒ j. dacrydij optimè præparati ℈ ij. ſyrupi viol. ex multis infuſionibus q. ſ. fi. Medicamentum leuiter purgans.

opiata: detur pro vna vice ℥ i. cum ſaccharo in forma boli, vel diſſoluta decoctione prædictarum herbarum aut 4. ſem. frig. ma. quo modo refrigerantior euadet.

Cæteris diebus extra paroxyſmum conuenient clyſteres aluum emollientes & refrigerantes (præſertim ſi aſtrictior ea fuerit) quibus etiam humor magnam partem deorſum vergens liberiùs excernatur. Gal. his atque diureticis contentus eſt, ad bilis quantulamcunque eductionem, donec coctionis notæ appareant: tunc verò propinat abſinthij comam in mulſo maceratam. Nos verò ab initio de ſupraſcripta opiata dabimus, ſi tertio morbi die pharmaco locus eſſe poſſit: ſin minùs, quarto vnum ex minoratiuis χολαφύγοις anteà deſcriptis concedetur. Deinde ſyrupis ad cauſon inſtitutis bilioſi humoris coctionem accelerabimus: qua iam manifeſta rhab. infuſum leuiter expreſſum offeremus cum ſyrupo roſ. laxat. Potionis huius deſcriptionem repete ex curatione calidæ intemperiei hepatis, à qua myrobalanos detrahes, ne maior aſtrictio noceat morbo nondum ſoluto. Eodem tempore concedit Gal. balneum calidum ex aqua pota-

Lib. 1. ad Glauc.

Abſinthii coma.

Ibidem.

potabili, quod bilis aliquid deducit, humectat & refrigerat: atque ſi balneo quis delectetur, cum non peccare admonet, ſi bis die lauetur. Nam ſignis coctionis morbi apparentibus (inquit) ſi frequentius laueris, non erraueris. Quamobrem balnei aquæ dulcis ac tepidæ vel eius quod initio deſcripſi vſus erit peropportunus die intermiſsionis qui grauiſsimum paroxyſmum ſequetur, nimirùm in ſtatu morbi & ſummo vigore. Cùm paroxyſmus vnus aut alter manifeſtiſsimam diminutionem habuerit, febrem iam declinantem & mox finituram ſignificat. Tunc eiuſdem balnei iteratio admodùm iuuabit, quò ſudor liberiùs emanet. Quibus verò nō placet balneū, permittant ſe frictionibus & vnctionibus χαλαςικοῖς ex oleo chamæmelino, amygdalino dulci, liliaceo atque ſimilibus: aut aliis vtantur remediis ſuprascriptis, nec modò ſudores mouentibus, ſed etiam diureticis, vt morbi reliquiæ penitus excludantur. Si è naribus hæmorrhagia hoc etiam in morbo critica (præſertim quando ab initio phlebotomia neglecta fuerit) tandem accidat, aut vomitus aut alui deiectio biliofa, boni conſulendum, nec niſi immodicæ fuerint

Balneum.

Criticæ eruptiões quibus & quando promouendæ.

excretiones eæ ſiſti debebunt: quin potiùs cùm parciores & temerè interceptæ videbuntur, eas prouocare præſtiterit. Hæmorrhagiam quidẽ, narium punctione, colli compreſsione & rubrorum conſpectu. Vomitum verò præſcripto anteà vomitorio: deiectionem denique aliquo ex χολαφύγοις ſupraſcriptis, maximè autem paulò antè recenſito, cui rhabarbarum & myrobalani inſunt.

Exacta criſi perſanatóque morbo, vt res tutiùs geratur, conſultum fuerit conualeſcentem aliquot dies victus rationem eandem quam morbi tempore obſeruare, & vino albo tenuiſsimo vti. Atque ſi vrina admodum rufa videbitur, hepati relicta intemperies corrigenda erit, epithematis inunctionibúſque quæ ad id iam anteà præſcriptæ ſunt. Eadem quoque toto morbi decurſu proderunt, vt hepar à ſua offenſione vindicetur. Poſtremò conueniet electarium de tribus ſantalis manè aſſumendum: & quando vrina colori naturali reſtituta fuerit, elect. diarrhodõ, quod eſt valdè hepaticum, vt diarrhodõ hepatis rectiùs quàm Abbatis nuncupetur: his enim ipſum roborabitur, quod in febre tertiana calore immodico & laxitate plurimùm laboraſſe conſtat.

Corrigenda hepatis intemperies.

Lib. 1. cap. 2.

Electaria.

De Tertiana notha. Cap. X.

TErtiana ſpuria eſt, quæ legitimæ notas omnes vel præcipuas non habet. Ab horrore vel frigore potiùs quàm rigore incipit: aliquando ne frigus quidem ipſum percipitur. Calor nec tam citò extrorſum diffunditur, & mitior eſt: vnde nec magna inquiete fatigatur, nec multùm ſiti premitur æger. Capitis grauitas omnium maximè diſplicet, eſtque in ſomnum propenſitas ferè ineuitabilis, præſertim initio paroxyſmi, quo tempore pulſus admodùm frequens non eſt: ſed nec in ipſo ſtatu adeò velox aut inæqualis eſt, vt in legitima. Vrina ſpectatur ſubrufa aut pallidior & mediocris conſiſtentiæ. Acceſsionem copioſior ſudor non finit, ſed potiùs mador aut inſenſilis fuliginum excretio: nonnunquam vomitus bilis non ſinceræ. Sunt verò acceſsiones duodecim horarum ſpatio longiores, vt non rarò diem integrum perſeuerent, aut longiùs excurrant. Eſt etiam vniuerſus morbus diuturnior, nonnunquam bimeſtris aut trimeſtris. Galenus vidit, cui cùm autumno cœpiſſet, vere ceſſauerit. Non eſt meracior bilis quæ hanc fouet, ſed craſſo

Signa.

Lib. 1. ad Glauc.

Cauſa.

humori permixta, cuius ratione febris tardiùs ſoluitur, atque interim lien intumeſcit & hypochondria flatu diſtenduntur, apparétque tumor in facie & cruribus decolor: quæ pituitoſi aut melancholici humoris effecta ſolent eſſe. Horum verò vter potiùs inficiat bilem, docebunt ipſa ſymptomata: proút ad ea quę in quartana aut quotidiana febre peculiariter obſeruantur propiùs acceſſerint. Eos autem maximè ſolet inuadere, qui natura bilioſi ex inepta victus ratione plurimum alterutrius humoris congeſſerint. Suapte natura ſalubris neminem iugulat: ab erroribus verò commiſſis nonnunquam fit continua valdè perniciosa, aut in quartanam vel quotidianam hac prolixiores & infeſtiores conuertitur, pro natura humoris qui bili permiſtus eſt.

Victus ratio.

Victus ſit temperatus aut parum calefaciens, non refrigerans & humectans, vt in tertiana exquiſita. Idem vim aliquam incidendi & attenuandi habeat oportet. Galenus dat ſorbitiones ad cõcoquendum faciles, ſuccum ptiſſanę cui incoctum ſit piper, hyſſopum vel origanum: potandam verò mulſam ex decoctione ſpicæ nardi aut alterius ex diure-

Lib. 1. ad Glauc.

ex diureticis quæ non valdè calefaciunt & exiccant: oxymel quoque in potu multis profuiſſe idem refert. Nos etiam vini albi aut rubelli prætenuis potum concedemus, vel decoctũ ſeminis aniſi, fœniculi, coriandri aut cinnamomi: vel præſcribemus hippocraticum, vt vocant, aqueum. Cibos verò quales ad febrem quartanam continuam exhibebimus, ac paulò etiamnum calidiores. Plenior victus quàm in legitima conuenit, quia hæc multò tardiorẽ ſtatum habet: alternis verò diebus tantùm cibare poſſumus, quando vnum occupat acceſsio. Licet tamen cùm vires ſunt imbecilliores, in hac nonnihil cibi dare, vti pulli iuſculũ. Gal. Ibidem. prudenter admonet nõ lauandum priuſquàm ſigna coctionis appareant: neque tamen in eius ipſius ſententiam adduci poſſum, vt credam quietem omnino cõuenire: quin potiùs intermiſsionum diebus exercendum eſſe corpus iudico, vt crudiores ſucci coquãtur & attenuentur. Neque verẽda eſt horum in corporis habitum noxia tranſlatio, cùm leuior tantùm exercitatio qualem vix ſubire valent à nobis probetur. Somnus verò permittatur longior, vt quo nihil magis venarum & arteriarum crudos humores con-

coquat & maturet, dummodò ne capitis grauitatem, vti ferè ſolet, & laborem ſeu laſsitudinem adaugeat.

Curatio. Si phlebotomiam nihil diſſuadeat, ea imperetur: ſed multò parcior quàm in tertiana legitima, ne cruda crudeſcant magis. Nam qualiſcunque fuerit ſanguis, eo vel tantillùm imminuto ſimul etiam imminuitur calor natiuus, coctionis omnis opifex. Galenus hîc commendat vomitum, quem à cibo vtiliſsimum eſſe teſtatur, maximè quando febris inueterauit: adeò vt nonnullis ſtatim à vomitu febris omninò deſierit. Idem concedit aliquod ex his medicamentis quæ blandè purgant, & abſinthij comam propinat frequentiſsimè poſt ſeptimum diem. Coquit verò materiam, aut eius coctionem accelerat fotu præcordiorum, qualem in curatione quotidianarum & quartanarum præſcribemus. Cætera quæ hîc conueniunt purgantia medicamenta & maturantes ſyrupos necnon clyſteres, qui non valdè molles leneſve ſed acriores eſſe debent, vt idem admonet, ex curatione quotidianæ febris continuæ licebit conſequi. Quòd ſi quid aliud præterea deſideretur, id colligi poterit ex iis quæ dicentur in quartana & quotidiana intermit-

intermittentibus. Nam cùm huiuſmodi morbum fouens materia, prout pituitæ atræ've bili magis minúſve permixta eſt, nunc huius nunc illius febris naturam repræſentet, mixta quodammodò debet eſſe tertianæ nothæ curatio inter febris tertianæ exquiſitæ & exquiſitæ quartanæ vel quótidianæ curationem. Iam ergo ad iſtarum duarum, quæ ſimpliciores ſuperſunt, tractationem deſcendamus: vt ex quarum perfecta cognitione huius notitia quodammodo pendere videatur. Coacti verò ſumus & ſermonis continuatione ac ſerie, & tũ rei, tum nominis affinitate, poſt tertianam legitimam de altera quæ & ſpuria & minimè legitima dicitur obiter ac velut in tranſcurſu diſſerere.

De quartana intermittente exquiſita.
Cap. XI.

QVartanam febrẽ ex primo ſtatim paroxyſmo hiſce notis internoſces. Oſcitatio, pandiculatio & moleſta quædam totius corporis inæqualitas primùm ſuboritur: paulò pòſt accedit horror frigoris, nõ acrimoniæ aut punctionis, ſenſum exhi- Signa.

bens: eſtque velut contuſio ad oſſa vſque peruenicns, quæ penè confracta ſentiuntur cum articulorũ diſſolutione. Horrorem dentium ſtridor maximus comitari ſolet: eiuſmodi verò affectus longè infeſtiſsimus nõnunquam duas horas perſeuerat, vti dum morbus eſt in principio & crudiore materia fouetur. At temporis progreſſu horror in rigorem cõuertitur, eo qui tertianas deſignat lõgè mitiorem. Nulla enim febris, præter exquiſitam tertianam vehementem rigorem facit. Horrorem calor excipit non valdè acris aut feruidus: vnde nec ſitis multùm vrget, nec magna eſt inquietudo. Pulſus initiò paroxyſmi eſt admodũm rarus & tardus, quandiu ſcilicet viget horror: in augmento verò, & hoc magis in ſtatu ipſo, velox & frequẽs, ſed tamen perpetuò rarior & tardior quàm in tertiana. Eſt hîc tamen inſignior euidentiórque inæqualitas, quàm in aliis quibuſcunque febribus: nempe multò velocior eſt arteria in principio & fine ſui motus, quàm in medio curſu. Vrinæ ſpectantur variæ, ſed crudæ omnes. Paroxyſmus tres diei naturalis partes ſæpius occupat: non rarò vltra 24. horas protenditur, atque in ſudorem deſinit exiguum. Pacata etiamnum

num febre velut impreſſum eius veſtigiū adhuc in pulſu relinquitur, vt qui natura rarior tardiórque deprehendatur. Vix ſine lienis tumore aut alio vitio fit, vt rectè annotauit Gal. accidítque potiſsimùm conſtantis ætatis hominibus & aliis quorum natura vergit ad humorem melancholicum: per anni tempus autumnale, vel alioqui inæqualem aëris conſtitutionem graſſari conſueuit. Quòd ſi eadem tempeſtate plurimi quartana corripi videantur, certius erit iudicium in prima acceſsione, eam fore quartanam. Exquiſita verò dicetur, in qua prædicta omnia aut certè præcipua obſeruabuntur. Hanc porrò facit melancholicus humor. i. ſanguinis fæx & limus, quando copioſior & bili permixtus in corde accenditur. Eſt hoc genus quartanæ maximè rarum: frequentior multò ſpuria, quæ fit ex atra bile ſiue aduſto humore, vt in tractatu noſtro de quartanæ generatione annotauimus. Itaque vix vnquam ab initio ſtatim ingruit ſpuria, ſed aut quartana legitima, aut aliis febribus antegreſsis: nimirùm erraticis, per quas humores comburūtur, accidere ſolet. Quartana, authore Hipp. omnium febrium ſecuriſsima, facillima & longiſsima eſt: neque verò ipſa tan-

Cauſæ.

Cap. 11.

Lib. 1. e-pid.

tùm per ſe talis eſt, ſed etiam à magnis aliis vindicat morbis: de qua re plura nos alibi. Præterea æſtiuæ quartanæ breues iudicantur: autumnales verò longæ vt plurimùm, ac eæ pręſertim quæ hyemem attingunt.

Cap. vlt. li. de quartana.

Hip. Aph. 25. lib. 2.

Victus ratio.

Quòd ad curandi rationem attinet, maxima eius pars in proba victus ratione conſiſtit, contra vulgi opinionem: cui à nulla re abſtinendum eſſe perſuaſum videmus. Præcipuas verò conditiones victus hîc obſeruandas anteà dictauimus in quartana continua: verùm quia hæc longè diuturnior eſt, liberaliorem ciborũ varietatem expoſtulat: cúmque duos dies febris nulla ſit, per quos cibus tutò aſſumitur, licet iis apertè calefacientia vſurpare cum valdè humectantibus, qualia humor requirit. Si enim vel immodicè dũtaxat calefacias, craſſus humor craſſeſcit magis, & abſumpta portione tenui illius quaſi fæx contumaciſsima euadit. Ergo iis omnibus quæ in quartana continua præſcripſimus ritè obſeruatis, aër ſit quouis tempore non tãtùm humidior, ſed etiam calidus. Sunt enim quartana laborantes frigoris impatientiſsimi (vt aliàs annotaui) & à frigidis omnibus maximè læduntur. Labor cibum præcedat, ſed

Lib. de quart. gen. cap. 8.

ſed citra defatigationem, nec intermittantur conſueta negotia intermiſsionum diebus: ſiquidem mitior eſt quartana. Quin plerique non ineptè ſuadent, vt cùm inſtat paroxyſmus, æger corpus vehementer exerceat: ſic enim multò remiſsior futurus eſt horror. Exercitij vicem nonnunquam ſupplebit matutina frictio: neutrum tamen priùs aggrediendum, quàm excrementa communia reiecta fuerint, ne horum partes tenuiores ac velut halitus in corporis habitum alliciantur, vnde ſanguis impurior & triſtior anima fiat. Cibi conuenientes ſunt, quotquot humorem frigidum, craſſum viſcidúmque non gignunt, neque ſunt flatulenti. Deligendus itaque panis puriſſimus diligenter ſubactus ac probè fermentatus addito perquàm pauco aut etiam nullo ſale: præſtiterit aniſi vel fœniculi aliquot grana permiſcuiſſe. A cruſtis & indurato pane abſtinendum. Veſcendum carnibus hœdinis, vitulinis, & nonnunquam agni aut nefrendis, gallinæ & pulli eiuſdem, perdicis, phaſiani, &c. Sunt qui damnent carnem gallinarum Indicarum: ego delicatiſsimam & optimi ſucci eſſe optima ratione iudico. Vitentur carnes leporum cuniculorúm-

que adultiorum, caprearum, damarum, ceruorum, aprorum, anatum & aliarum auium quæ in lacubus paludibúſve degunt. Damnãtur etiam bubula & ſuilla, quòd non facilè coquantur, eóque nomine craſsiorem humorem gignant. Aſſa præſtant elixis ad humectandum & reficiendum, modò probè coctą fuerint, non affatim aut lentè nimiùm. Elixorum enim potior pars in ius abit: ipſa verò ſicciora minùs ſucculenta permanent. Ergo vt quis bene alatur, vnius carnis decoctum & alterius aſſatæ media portio vſurpetur. Cruſta enim, quia retorrida, negligi debet. Saxatiles piſces & quicunque alij ſunt carne friabili conceduntur, æſtate potiſsimùm. His adde cancros & teſtudines quemadmodum aduerſus hecticam præparatas. Ouorum recentium eorundémque tremulorum vitelli apprimè conueniunt. Caſeus quivis nocet, ſed magis antiquior. Ex fructibus conueniũt poma dulcia perfectè cocta & aniſo cõſperſa, pruna dulcia & vuæ exacinatæ, caricæ pingues, dactyli, nuclei pinei, amydalæ, piſtacia. Nuces verò & auellanæ ſuſpectæ ſunt, & alij duriores fructus, ac præ cæteris omnibus caſtaneæ. Lac amygdalinum confert, vt & hordeatum

deatum decem horas coctum, necnon auenatum. In iuſculis decoquatur borrago multa aut nonnihil ſpinachiorum, cùm aluus aſtricta videbitur: aliàs & præſertim hyeme, mẽtha, hyſſopus, maiorana, & alia odorata. Abſtinendum maximè à braſsica: conceduntur napi & rapæ, allia, cępæ, porri: ſed in parciore vſu. Legumina prorſus interdicuntur: licet tamen vti cicerum decocto. Acida omnia ſunt nocentiſsima: imprimis verò acetum, quod in humorem melancholicũ facilè degenerat, vt multis rationibus demonſtraui lib. de quartana. Pro condimentis aromata vſurpentur minùs acria, & in mediocri quantitate cinnamomum, caryophylli, nux moſchata & (qui præcipuè exhilarare dicitur) croeus, niſi dolor capitis ægrum diuexet. Gal. recipit ſalſamentorum & ſinapeos vſum, necnõ piperis. Saccharum, ſapa & mel omnibus modis proſunt. Potus ſit vinum non modò album, tenue & mediocriter calidum, vt præcipit Gal. ſed etiam rubrum, generoſum, antiquum, non turbidum & craſſum, dulce potiùs quàm auſterum: diluatur verò modicè quantũ patietur ſobrietas. Si æger priùs fuit abſtemius, iam vino aſſueſcat, vel vtatur aqua decocta

Cap. 8.

Lib. 1. ad Glauc.

Ibidem.

cum aniſo, fœniculo, cinnamomo, & (vt placet Gal.) cum pipere: hac enim quotidie vtendum ſuadet. Porrò ciborum copia largior eſſe debet, & per initia victus plenior (niſi plethora nobis minuenda ſit) inſtituendus. Nam cùm humor craſſus & præ ſiccitate contumax deprehendatur, hîc maximè eſt humectandum, quod cibis εὐχύμοις facilè fit. Huc accedit quòd morbi ſtatus à principio remotiſsimus eſt, in quo tenuiore victu erit vtendum: ſemper tamen pleniore, quàm in aliis quibuſcunque febribus. Somnus longior confert humectando, eáque ratione plùs iuuare poteſt quàm refrigerando. Coitus omnino vitandus eſt, quanuis aliàs melancholicis prodeſſe videatur. Aluus ſit perpetuò libera, ac niſi ſponte deiiciat, proliciatur vſu olerum fructuúmve anteà conceſſorum. Sin minùs, infuſis clyſteribus, qui initio acriores ſint, deinceps verò molliores contra aliorum ſententiam. Animi παθήματα omnia præter lætitiam vitentur, omnium verò maximè triſtitia. Itaque modis omnibus concilietur hilaritas iocis, confabulationibus, deambulatione iucunda, exhilarantibus veſtimentis & aureis monilibus, niſi vetet religio.

Ea ſunt extra παροξυσμὸν perpetuò obſeruanda. In ipſa verò acceſsione quid facto opus ſit, ſuperiùs in vniuerſum tradidimus: præter quæ in hac febre peculiariter annotandum eſt, horrorem quia moleſtiſsimus deprehenditur negligi nõ debere. Itaque ſi non cedat facilè pluribus integumentis & lateribus calidis ad pedum plantas appoſitis, licebit deinceps paulò antè acceſsionem vel dum oſcitationes & pandiculationes fieri incipiunt dorſi ſpinam inungere oleo chamæmelino, anethino, keirino, irino, rutaceo, coſtino, laurino, nardino, muſcellino, de piperibus aut de caſtoreo, his inquàm vel illis prout inſignior leuiórve fuerit horror. Vel admoueantur ſpongiæ ſequenti decocto madefactæ: Curatio. Inunctiones dorſi.

℞ vtriuſque pulegij, calamenti, origani, chamædryos, caryophyllatæ, marrubij, menthæ & hyſſopi an. M. i. foliorũ lauri, arantij & rutæ an. M. ß. florum chamæmeli, meliloti & ſambuci an. P. i. ſtœchados, roriſmarini & ſaluiæ an. P. ß. fiat decoct. in æquis partibus aquæ & vini. In colat. macerentur ſpongiæ nouæ & expreſsione facta applicentur. Efficaciores ſemper euadent quò Fotus ex ſpongia.

ſæpiùs prædicto liquore inſuccabuntur. Iiſdem ſed minùs expreſſis vtemur ſi neceſſe videatur in declinatione paroxyſmi, ad ſudores copioſiùs eliciendos: nam quò ſudor copioſior emanat, eò tardiùs recurrit ſequens paroxyſmus, & tempore intermedio optimè habet ægrotans. Contrà ſi non liberè prodeat ſudor, ceu ex contuſione grauitas in membris ſupereſt, neque exacta videtur ἀπυρεξία. Quamobrem & prædicto remedio & frictionibus, necnon decoctionibus ſudorificis, quas in ſuperioribus deſcripſi, molienda eſt talis expurgatio.

Vomitus. Lib. 1. ad Glauc.

Vomitus initio paroxyſmi vnicè commendatur. Gal. etiam à cibo vomere ſuadet: quod vtiliſsimum putamus, ſi paulò ante acceſsionem fiat. Non tamen helleboro, vt ille inſtituit, ſed anteà deſcripto remedio vomitum procurabimus. Vomiturus autem ſeſe ingurgitet plurimo & vario cibo, imprimiſque oleoſo & pingui, aut alio qui nauſeam excitare valeat. Ad ſitim, quando maximè vrgebit & iam aderit paroxyſmi ſtatus, concedetur potio ex ſyrupo de bugloſſo, violato, capillorum Veneris aut alio ex recenſitis in quartana continua. Quidam merum propi-

propinãt:quod mihi non placet, cùm in acceſsionibus minor ſit habenda ratio materiæ ſubiectæ quàm ipſius febris, vti contrà diebus quietis febrem vtcunque negligere poſſumus. Ego tamen per acceſsiones vinum ὀλιγόφορον modicè dilutum ei conceſſerim, qui vinum auidiùs expetit & non promptè ſudat. Parari etiam poteſt conditum vel mixtura, vel opiata, quę & ſitim minuat & vires vtcunque inſtauret: quod prudenter curandũ eſt, vt dum paroxyſmus longior eſt neque adeò commodè cibum licet aſſumere, inſtaurante aliquo naturæ vires conſeruentur.

℞ conſ.rad.bugloſſ. ℥ ij.conſ. florum borrag.& viol. an. ℥ j. conſ. capillorum Veneris & florum geniſtæ an.℥ ß. carnis cucurbitæ ſacch.conditæ ʒ iij.cort. citrij ſimiliter conditi ʒ ij. pul. diamarg. frig. ʒ j.ß. ſacch.albiſs.q.ſ. fiat conditum duplici auro coopertum: vel cum ſacch.roſ. tabul.fiat mixtura etiam deaurata: vel cũ ſyrupo de pomis ſuaueolẽtibus fiat opiata. Parum ex his multa aqua diluatur aut, vt ſuadere conſueui, ſincerum vel nonnihil madefactum deuoretur & ſuperbibatur aqua. Conditũ inſtaurãs.

Nunc de præcipuis remediis agendum

quæ intermiſsionum diebus præſcribi debent. Eſt verò imprimis animaduertendũ quod Gal. monet quartanæ febris curationẽ pro diuerſis eiuſce temporibus omnium maximè diſtinguendam eſſe, & initiò quidem blandè tractandam nullóque vehementi pharmaco irritandam, vt nec vlla vacuatione, præterquàm ſanguinis miſsione, ſiquidem is admodùm exuperet. Secabitur verò ſiniſtri brachij vena baſilica aut media. Atque ſi niger & craſſus appareat ſanguis (huiuſmodi ſolet eſſe lienoſis) audaciùs emittetur: ſin flauus & tenuis, mox ſiſti debet. Quòd ad purgationem attinet, equidem verum eſſe agnoſco præceptum, ſed alia ratione quàm excogitarit Galen. ſiquidẽ exiſtimat initiò vehementia καθαρτικὰ non conuenire, quia nimis calefaciant, & ex ſimplici duplicem, triplicem aut continuam quartanam excitare poſsint. Ego verò calefactionẽ non tam vereor in frigidiore materia, quam inanem & noxiam irritationem in eadem cruda & craſsiore. Huius ipſius ratione ſuadet Hipp. ſola concocta medicari atque mouere. Coquitur verò ſenſim & ſenſim euacuatur materia, quæ ab initio copioſior & crudior fuit, cúmque tenuior ſemper euadat, atque

Lib. 1. ad Glauc.

Aph. 22. ſect. 1.

atque adeò in ſtatu, ſi principio comparetur, ſit tenuiſsima, craſsior verò nõ niſi fortioribus cedat medicamentis, ſi diuerſis temporibus licet purgare, hauddubiè initiò fortiora, deinceps verò imbecilliora cõuenient. Igitur quando frigidior & craſsior adhuc fuerit, proderit vti electario diaſennæ purgatorio, non confectione hamech propter myrobalanos. Diacartamum etiam apprimè quadrabit, & electarium de citro ſolutiuum. Vt verò iſtorum ſiccitas retundatur, caſsia medulla aut manna, aut ſyrupus violatus erunt permiſcenda, & diluentur omnia decoctione ſequenti:

♃ glycyrrh. recẽtis ʒ iij. foliorum boraginis M. i. meliſſæ & ocymi caryophyllati an. M. i. ß. paſſarum mundatarũ paria vj. ſeminis aniſi ʒ j. florum violarum P. i. fiat decoct. In ℥. iiij. col. diſſolue medullæ caſsiæ recens extractæ in fumo huius decoctionis ℥ ß. vel mannæ granatæ ℥ j. diacartami vel electarij de citro ſolut. ʒ iij. diaſennę laxatiui ʒ ij. ſyr. viol. ex multis infuſionibus ʒ j. ß. miſce: fiat potio. Potio purgans.

Si æger malit pilullas deglutire, dentur ſequentes:

♃ maſſæ pilullarum alephang. ſeu de Pilullæ.

aromatibus ℥ ij. pilul.indarum vel de lapide armeno, vel lazuli ℥ j. fœtidarum maiorũ ℈ ij.ſennæ orient. ℈ j.ſalis gemmæ gr.v. cum ſyr. de fumaria ſimplici fi. paſta, de cuius ℥ j. formentur pilullæ vj. vij.vel viij. Capiat in diluculo ʒ ß. vel ℈ ij. Superbibatur nõnihil decoct. bugloſſ. & glycyrrh. vel hordeati decem horas cocti, quò emendetur medicamenti ſiccitas.

Hæc quidem mox ab initio conuenire poterunt, ſi purgandum videatur: deinde leuiora noſtra cathartica quæ ignorauit Gal. Fortia enim, qualis eſt helleborus, quouis tempore morbi à nobis repudiantur. Ergo inſtituta ad quartanam continuam purgatio in progreſſu morbi huius præſcribatur, ſingulis aut alternis menſibus repetenda, nũc hoc, nunc illo modo: ne natura vni remedio aſſuefacta, eius vim tandem aſpernetur. Prouidendum autem vt καθαρτικὸν aſſumatur pridie acceſsionis, aut ipſo acceſsionis die, ſi tardior fuerit paroxyſmus. Aliis diebus vtemur opiatis in continua præſcriptis, nec non tabellis vel ſyrupis ad materiæ concoctionẽ &, quia hîc frigidior ea, crudior & craſsior quam illic deprehenditur, ſyrupis qui magis attenuent & calefaciant opus

opus erit, vti oxymelite ſimplici diuretico & ſcyllitico, ſyrupo de radicibus, de epithymo & de fumaria compoſito ſi auferantur myrobalani, de eupatorio, de ſtoechade & de artemiſia cum decoctione radicum aperitiuarum, corticis tamaricis & fraxini & radicum capparis, necnon herbarum odoratarum, ſeminum atque florum eiuſmodi. Si placet exemplar ſyrupi melancholicum humorem egregiè præparantis, excipiatur ſequens:

♃ glycyrrh. recentis & raſæ ℥ x. quinque radicum aperitiu. (hoc eſt, apij, petroſelini, ruſci, graminis & aſparagi) radicum fœniculi & rubiæ maioris an. ℥ i. corticis mediani fraxini & tamaricis an. ʒ vj. aſari & corticis radicum capparis an. ℥ ß. cort. citrij ſicci ʒ iij. Inſundantur per 24. horas in vino albo: his adde fol. bugloſsi, borraginis, endiuię, cich. ſcariolæ, roſtri porcini an. M. ij. vtriuſque adianti, polytrichi, ſaluiæ vitæ, ceterach, filipendulæ & agrimoniæ an. M. i. betonicæ, meliſſæ, hyſſopi, ſaluiæ, maioranæ, calamenti, origani, vtriuſque pulegij, chamædryos & chamæpityos an. M. ß. artemiſiæ, tanaceti, ſummitatũ lupuli, fumarię, thymi & abſinthij an. tertiam partem M. i. paſſ. mund. quart. ß. caricarum pin- Syrupus melãcholicum humorem præparãs.

guium & prunorum dulcium ana paria xx.s. aniſi,dauci & ameos an. ʒ ij. carui & ſeſeleos an.ʒ j. florum trium cordialium, ſaluiæ, geniſtæ & ſambuci an.P.i. ſummitatum tamaricis, florum ſtæchados & roriſmar. an. P.i. epithymi ℥ j.s. cuſcutæ ℥ ß. fi.decoct.Cape de col.℔ j. ß. ſacchari albiſsimi q. ſ. oxymel. ſcyllitici ℥ iij. ſyr. de pomis bene olentibus & viol. an. ℥ iiij. pulu. diagalangæ & aromatici roſ.an.ʒ j. ß. diamargar. frigidi ʒ j.fi. ſyrupus clarificatus & aromatizatus pro iiij.vel v.doſibus.

Syrupus laxatiuus Si placet reddere laxatiuum, addes polypod.quer. recentis quart.i. medullæ s.cartami orientalis ℥ ij. foliorum & folliculorum ſennæ ℥ j.ß.agar.recentis ℥ j. ſalis gemmei ʒ ij. & perfectè coquetur ſyrupus: de quo propinabuntur quarto quoque die paroxyſmum antecedente ℥ ij. cum decoctione borraginis paſſ.& glycyrrhizæ.

Cæterùm ne diſpliceant iſta nimis ſæpè repetita, præſcribatur etiam ius pulli aut gallinæ iuuenis cum herbis odoratis, mane aſſumendum per aliquot dies: quod certè gratiſsimum erit & non minùs efficax (modò ſint copioſiores herbæ) quàm apozemata vel ſyrupi

deſcribi

deſcribi ſoliti. Herbarum loco imponatur quandoque nucis moſch. vel piperis vel croci quantum apertè calefacere poſsit: ipſum verò carnis decoctum egregiè humectat. Galenus dabat Lib. 1. ad Glauc.
diebus interpoſitis medicamentum quod διὰ τριῶν πεπέρεων dicitur, aut διοσπολιτικὸν: nos conuenientiora electaria quæ in officinis parata ſeruantur recenſuimus in fine curationis quartanæ continuæ. In iis verò quæ nos eodem loco deſcripſimus ſyrupis, tabellis, & opiatis obſeruandum eſt, vt quando ad quartanam interpolatam præſcribentur dupletur pondus eorum quæ magis calefaciunt, aut certè minuantur iis contraria. Nam cùm febris aſsidua non eſt, licet audaciùs multò calefacere. Hæc per initia & morbi incrementum fieri debent. In ſtatu verò tenuior victus & minùs calefaciens præſcribatur, quia morbum fouens materia iam cocta magis & tenuior calidiórque facta plus negotij naturæ faceſsit: tunc quies longa rectè imperatur à Galeno, viſceribus proſpicitur fotu ac illitu quibus emolliendi Ibidem.
laxandique vis inſit: deinde medicamentis quæ diuretica vocant vrinæ

prouocantur. Tandem coctionis notis manifeſtè apparentibus (vt in ſtatu ſunt manifeſtiſsimæ) fortioribus medicamentis quæ atros humores fugant ſubinde non ſemel purgatio tentatur, ſi neceſſe fuerit.i.à natura ipſa non ſatisfiat. Vomitus prouocatur à cibo : quibus verò is eſt difficilis, valentior purgatio inſtituitur. Ego cætera lubens admitto, non item fortius medicamentum, vt helleborum aut aliud quàm ab initio valentius. Nam materia iam faciliùs cedet, & in ſtatu quieſcere ſatius eſt, quàm vehementioribus ſaltem pharmacis vti : quibus humor calidior tenuiórque magis excandeſcat & συμπτώματα augeantur. Adde quòd materia, quam vis concoctrix alterare potuit, ab expultrice aut ſola aut leuiore medicamento adiuta ſatis reiicietur. Quamobrem ſuaſerim hoc tempore imbecilliorum purgantium vſum, qualia in tertianæ nothæ principio commendantur. Vomitus quoque & diuretica placent, de quibus abundè ſuprà. Fotus verò & illitus præcordiorum iuuat, vt viſcera iis ſubiecta cum materia contenta humectentur & molleſcant. Veremur ſiquidem horum duritiem, ac præſertim lienis, pancreatis ac totius meſaræi, vt

Vitanda in ſtatu fortiora medicamenta.

quæ

quæ non rarò in hac febre ſcirrho tententur: vbi ſcilicet inepta reſolutio vel expurgatio tenuioris materiæ portionis facta eſt,remanente craſſa. Ad duritiem verò & ſcirrhoſam obſtructionem ſequitur vix vnquam curandus ὕδρωψ. Hæc igitur vt vitemus incōmoda, tùm aliis temporibus & toto morbi decurſu,tum vel maximè in ipſo ſtatu ὑποχόνδρια & medium ventrem inferiorem humectabimus, emolliemus, & inibi quæ obſtructa ſunt expediemus,ſequentium vſu:

℞ radicum liliorum ℥ iij. radicum althææ ℥ ij. rad.bryoniæ & enulæ campanæ recentis, cortic. medij fraxini & tamaricis an.℥ j.cortic.radicum capparis ℥ ß.herbarum capill. communium an. M. ij. vtriuſque bugloſsi & vtriuſque cich. ſum.& 4.herbarum emollientium an.M. i. caricarum pinguium paria. xx. s. lini & fœnigræci an. ʒ vj. s.rutæ ʒ iiij. agni ʒ ij. florum violæ, bugloſsi borraginis, ſambuci & geniſtæ an.P.i.ſi. decoct. De col.foueantur prædictæ partes cum filtro vel ſpongia bis in hebdomade, idque reiectis communibus excrementis. Fotus.

Fotu quater aut quinquies repetito, vt decet, admoueatur ſequens linimentum: Linimentum.

℞ axungiæ gallinæ & anſeris an.℥ ij.

medullę cruris vituli & cerui an.℥ j.muccaginis radicis biſmaluæ & s. fœnigræci an.℥ ß.radicis iridis ʒ ij.radic. cyclamini ʒ j.ol. chamæmel. & amygdalarum dulcium an.partes æquales,ceræ flauæ q.ſ.fi.linimentum.

His præcauebuntur lienis tumor durus, ſcirrhoſáque obſtructio tum huius ipſius tum vicinarum partium. Quòd ſi nihilominus vel incautis acciderit, curatio erit adhibenda qualem in tractatione tumorum præter naturam dictabimus. Inter cætera auxilia cordis epithemata hoc in morbo principem locum obtinēt: quibus ſic muniatur princeps viſcus, vt ne à vaporibus melancholicis quos parit copioſos feruēs vſtionémve patiens materia infeſtetur aut palpitatione diuexetur cum vano timore atque nulla ex occaſione mœſtitia. Conueniēt autem quæ in ſuperioribus deſcripta ſunt epithemata, vel ſimilia alia è pulueribus electariorum quę hîc cōmendauimus concinnata: atque ea in acceſsionibus admouebūtur. Extra paroxyſmum geſtetur ferè perpetuò ſacculus in ſequētem modū paratus:

Epithemata cordis.

Sacculus.

℞ pul.diamarg.frig.℥ ß.florum bugl. borrag.nymphæę an.ʒij.s.citr.mund.ʒj. caphuræ ℈ j. raſuræ panni coccinei q.ſ.

ad

ad excipiendum. Includantur ſindone kermezino & formetur ſacculus interpū-ctus ſimili ſericeo filo ad oualem vel coni pinei figuram dimidium ferè palmum latus. Geſtetur è regione cordis.

In ſtatu materia iam concocta profuit multis aperire venam ſaluatellam vocatam: ea eſt inter annularem & medium digitum ſiniſtrę manus. Huius ſectionem laudat Gal. liene laborante, quem certè conſtat hîc malè affectum eſſe: atque rurſus obſeruādum quod ſuprà monuimus, craſsiórne & fœculentus, an verò tenuior ſanguis appareat, vt pro varia eius conſiſtentia & puritate plus minúſve ſinatur effluere. Plurimùm etiam cōfert excitare hæmorrhoidas: quibus verò modis prouocentur, tùm dicemus cùm de obſtructione agetur. Nonnulli cōmendant balneum ad largiorem humectationē: quib9 planè aſſentior, expertus quantum proſit eo frequentiùs vti, cùm materia quæ febrem fouet maximè peccat ſiccitate: non tamen probo eorundem conficiendi vtēdíque rationē. Quippe volunt illi ab initio, dum humor adhuc crudus eſt, balneū quale anteà deſcripſi conuenire: quando verò concocta eſt materia, velut in ſtatu & declinatione, imponenda balneo

Saluatellæ ſectio.

Balnea quæ conueniant.

quæ calefaciant, incidant & attenuent. Imò enimuerò contraria huic curatio rationi conſentanea eſt. Nam quò frigidior & craſsior eſt omníque ex parte crudior materia, eò liberaliùs calefacienda & attenuanda venit, haud ſecus atque ab initio: tenuior verò ſicciórque &, vt veriſimile eſt, calidior facta humectationem magis deſiderat. Quòd ſi reſolutioni ac diſsipationi prorſus ſtudes, cineris maiorem aceruum efficies, & materiam diſcuſsioni minimè aptam reddes. Eſt ea diluenda potiùs humectantibus, & eò magis quò parcior euadit: cùm liquidiores portiones primùm abſumi ſoleant, craſsioribus & terrenis pertinaciter remanentibus. Sic ſcirrhos ex arte curamus, ſcilicet alternatis medicamentis quæ incidant, attenuent & aridiorem ſubſtantiam diluant, quò ſimul cum tenui & liquidiore pars craſſa terrenáque exhauriatur. Hoc ipſius Galeni ſcitum præceptúmque eſt: cui tamen ipſe palàm repugnare videtur, quando in curatione febris quartanæ (quam ſcirrho non ineptè compares) iubet vti calidioribus in ſtatu, neque permittit in principio vel theriacen, vel aliud ex quartanæ antidotis admodùm calefaciens. Sunt hæc ipſius verba:

Lib. 5. de ſimpl. facult. cap. 6.

verba: Qui per initia aliquod ex his medicamentis dederunt aut omnino ante morbi ſtatum, ex ſimplici quartana duplicem ſæpè, aut ſine dubio maiorem ac difficiliorem: ex duplici verò triplicem, aut omnino duas ipſas difficiliores maioréſque reddiderunt. Noui enim Medicum quendam, qui tribus quartanis laboranti theriacen ante morbi vigorem dare ſit auſus: deinde omnibus, vt par erat, adauctis aſsidua febris ſucceſsit, quæ hominem iugulauit. Hæc Galenus: qui ipſe tamen per initia febris quartanæ exhibet ſalſamenta & ſinapi, medicamentum ex tribus piperis generibus, dioſpoliticum & ſolum piper cum aqua. Adde quòd febris quartana, vt præmonuimus, quò ſtatui propinquior eſt, eò materiam calidiorem, tenuiorem & proinde acriorem habet (vnde etiam vehementiora tunc apparent ſymptomata) & ad febris tertianæ ſpuriæ conditionem propiùs accedit, rigorē pro horrore ſortita. Quamobrem niſi calefacientia attenuantiáque diminuas, facilè eo tempore duplex aut triplex fiet quartana, & ab his continua: ſcilicet materia iā mobilior frequentiùs cor laceſſet, ignémq; excitabit. Optima medendi ratio eſt, quæ quar-

Lib. 1. ad Glauc.

tanam legitimā in ſtatu eo modo curat, quo tertianam ſpuriam in principio tractamus. Quæ verò febres quartanæ vſu theriaces atque ſimilium ante morbi coctionem magis ſæuiunt & excandeſcunt, ſpuriæ ſunt ex aduſtis humoribus natæ: quibus admodùm calefacientia nocēt nō tantùm ab initio & in augmēto, ſed multò etiā magis in ſtatu. Neque velim in talibus vllo tēpore morbi vel theriacen vel ſimile quippiam dare, niſi fortè in declinatione: non tamen ſine humectantibus quæ morbi reliquias egregiè diluāt. Ergo vt ad inſtitutum redeamus, balneū in ſtatu conueniet, quale aduerſus calidam intemperiem præſcripſimus: abundè videlicet humectans & paulò minùs refrigerās, additis quibuſdam calefaciētibus herbis, quò bene temperatum euadat in duabus primis qualitatibus. A balneo fiet totius corporis vnctio ex oleo violato, liliorum aut amygdalino dulci. At per initia huiuſce morbi componetur balneum è ſimplicibus quæ vltimò deſcriptum ſyrupum conſtituunt, aut ſimilibus aliis: & vnctiones præſcribentur ex chamæmelino, anethino, aut aliis ad horrorem conuenientibus anteà propoſitis. Thermarum vſum aliqui laudant ex vapore decoctionis calida-

Thermæ.

lidarum herbarum, quò ſudor eliciatur. Et equidẽ admitto, vbi humor fuſus & attenuatus reſolui aut aliqua ſui portione in ſudores conuerti nequit ob cutis dẽſitatem vel conſtipationem: ſit verò æger ſatis robuſtus, & bis vna hebdomade ſudet poſtridie acceſsionis. Idẽ multò magis probamus in totius morbi declinatione (ad quam tandẽ peruenimus) ſub eadẽ cõditione virium & cutis. Tunc nullo refragante cõceditur theriaca, cuius vi reliquiæ morbi abſumãtur & viſcera corroborentur. Ad idẽ maximè conferet nobiliſsima confectio alkermes, hoc eſt, de grano tinctili affectib9 melãcholicis planè accommodata, vt ex eius deſcriptione patet: necnon & confectio illa altera itidẽ pretioſa quæ ab hyacintho meruit appellationem, cuius deſcriptionẽ reſtituimus in noſtro de Peſte libello. Verùm iſta ſiccandi vi pollentia humectantibus corrigi debent, iiſque vel ſimul vel paulò pòſt aſſumptis: quippe aridius euaſit corpus ex febris natura & diuturnitate, atque deinceps humectandum ſaginandúmque eſt. Si quid prætereà faciendum videtur in declinatione vt nihil morbificæ materiæ ſuperſit, ex aliarum febrium curatione ſat colligi poteſt.

Confectio Allzermes.

Confect. de hyacintho.

Cap. vlt.

De febri quartana ſpuria. *Cap. XII.*

Signa & cauſæ. SPuria eſt, quæ legitimæ præcipuas notas minimè repræſentat: acceſsiones à leui rigore incipientes habet eáſque breuiores, ſed cum mordaciore calore, vehemẽtiore ſiti & inquietudine. Hîc ſubeſt humor aliquis aduſtus, qui bili permixtus eſt. Is verò ex prægreſsis aliis potiſsimúmque erraticis febribus colligi ſolet, vt vix vnquam viſa ſit incipiẽs quartana ſpuria, quinimò frequentiſsimè aliam ſequatur & ipſa errabunda. Minùs diuturna eſt, ſed moleſtior febre exquiſita ſui generis. Atque multò faciliùs in duplicem triplicem & continuam degenerat, quando imprudenter tractatur humor, hoc eſt, immodicè calefacientibus irritatur augetúrque.

Victus. Ad huius curationem victus inſtituatur humectantior & quoad actiuas, vt appellant, qualitates magis temperatus quàm calidior: ne aduſti humoris velut carbo reuiuiſcens peſtiferè magis nec ſine maiore detrimento accendatur. Atque hoc præcipuè differt ab exquiſita quartana, ad continuam ſpuriam ex bile minoris famę, vt vocat Auicẽnas, genitam propiùs

accedens.

accedens. Ergo qualis aër, quales cibi & potus hîc conueniant, ex ſuperioribus facile eſt repetere. Sunt tamen vel obiter annotanda quæ præcipuè animaduerti debent. Vinum conceditur bene dilutum, quòd inſigniùs quàm aqua ſincera humectet. Ius carnium, oua recentia & quæ ſimiliter plurimùm alunt, vtiliſsima cenſentur: non ſalſamenta vel aromata vel quippiam acre. Acetum verò in quartana legitima pernicioſiſsimũ in iſta conceditur, ſed parciſsimum, tum ad condimenta quæ appetentiam hîc valdè proſtratam excitent, tum ad præſentis incẽdij extinctionem. Sic equidem interpretandam eſſe puto Arabum ſententiam, qua diſtingunt aceti vſum non conuenire natura melancholicis, ſed qui ex accidenti aliquo tales euaſerunt. Nempe ei humori qui propriè melancholicus dicitur fauet: atræ verò bili, quæ nulli naturalis eſt, aduerſatur: de qua re nos pluribus in tractatu de febre quartana. Somnus extra paroxyſmum diuturnior omni ex parte iuuat. Cap. 8.

Sanguinis miſsio liberalior ſpuriæ quàm legitimæ conuenit, eò quòd non perinde veremur corpus refrigerare. Neque verò brachij tantùm ſiniſtri venam Curatio.

tundemus lienis gratia, verùm etiam dextri: cùm in hepate præcipuè vſti ſint vel adhuc vrantur humores qui hanc fouent quartanam. Quamobrem partienda erit φλεβοτομία, ſic vt vno die aperiatur dextra baſilica & emittantur ſanguinis circiter ℥ iiij. ſequenti verò ſiniſtræ manus, ſi placet, ſaluatella, quemadmodum in legitimæ quartanæ ſtatu præſcripſimus. Hæc enim febris vel ab initio illius vigorem æmulatur, eſtque ferè ſimili modo tractanda. Ob id compendioſiùs multò eius curationem tradimus, ne bis idem docere aut etiam ſæpius idem inculcare videamur. Pro medicamento purgante omnium commodiſsimè vſurpabitur antidotus catholica, vel ſiliquæ ægyptiæ pulpa ex ſero lactis caprini exactè percolato: aliàs cum decoctione mercurialis herbæ. His enim fugari ſolent atri humores: maximè verò lapidibus cyano & armeno optimè præparatis, vt in pilullis quæ ab illis cognomen ſortiuntur. Idem præſtat diaſennæ compoſitio & ſennæ vel epithymi infuſio in iure galli antiqui vel braſsicæ, & polypodium, quod craſſos quoſcunque humores fugat. Syrupi autem hîc conuenientes ſunt, quicunque inſigniter humectant, incidentibus & minimè

minimè calefacientibus mixti: in primis verò oxymel, non ſimplex tantùm, ſed etiam compoſitum & ſcylliticum, ſi violaceo ſyrupo temperentur: nec minùs oxyſacchar compoſitum. Diluendi verò ſunt hi ſyrupi decoctione herbarum valdè humectantium, de quibus ſuprà dictum eſt. His præparabitur humor ad expulſionē, id eſt, ſic temperabitur vt ne partes eas per quas fugabitur raſura roſionéve exulcerare poſsit: quod alioqui maximè verendum, ſi nimia vi & non bene maceratus expellatur. Si quis me conſulat, fœliciùs id præſtabit aſſumpto per aliquot dies carnis iure, in quo multa borrago cum pauca meliſſa incocta fuerit. Pinguis enim dulcedo materiæ huius acrimoniam optimè frangit & mitigat. Educetur verò ea tandem vel poſtremò recenſitis μελανοφύγοις, vel ſyrupo ſequenti efficaciſsimo:

℞ polypodij quer. ℥ iij. mercur. betæ, borraginis & turionum maluæ ana M.ij. origani, capillorum Veneris & ceterach an. M.i. prunorum dulcium paria xv. pulpæ paſs. ℥ j. pulpæ tamarind. ℥ j. ß. aniſi & fœniculi an. ʒ iij. s. cuſcutæ ℥ j. medullæ s. cartami orientalis & foliorum ſennæ recentium an. ℥ ij. epi- Syrupus purgans.

thymi recentis ℥ j.ß.triũ florum cord.& geniſtæ an.P.i. florum centaurij minoris ℥ j.coquãtur in ſerò lactis caprini ſecundum artem. In col.℔ ij. diſſolue pulpæ caſsiæ recèns extractæ in prædicta decoctione diſſolutæ & col.℥ iij. mannæ granatæ ℥ iiij. ſaccha. albiſs. q.ſ. fi. ſyrupus perfectæ coctionis aſſeruatus in vaſe vitreato.Capiat ægrotus ſingulis hebdomadis ℥ ij.plùs minùs ex iure pulli vel decoctione borraginis.

Morbo iam finiente vt reliquiæ abſumantur,partéſque interiores confirmentur, optimum erit myrobalanorum ind. decoctionem vel infuſionem addere vltimæ doſi præſcripti ſyrupi. Cætera huic ſunt cum febris quartanæ legitimæ vigore communia. Nimirùm conuenit idem balneum, vt & fotus & vnguentum: imprimis verò epithema cordis. Clyſteres bene emollientes & refrigerantes frequẽter iniici debent, quales in ſuperioribus deſcripſi.Atque omni ex parte prouidendum,vt abundè maceretur bilis atra,eiuſdem acrimonia benignè langueſcat & ſenſim expellatur,ſuccedátque illi laudatior humor ex boni ſucci alimẽtis ea copia exhibitis quam æger facilè ſuperet.

De

De quotidiana intermittente exquiſita. Cap. XIII.

QVotidianam febrē noſtri, Græci ἀμφημερινὴν appellant, non quancunque typo ſimili quotidie recurrentem. Alioqui enim duplex tertiana & quartana triplex iiſdē authoribus à quotidiana minimè diſtinguerētur. Sed huius materia cùm ſit, vt illi ſtatuunt, pituitoſa, copioſa faciléque putreſcēs, neceſſariò quotidianos paroxyſmos, non rariores, habet. Nos verò hac in re Fernelio magis aſſentimur (quod etiam alio loco annotauimus) omnium febriū rariſsimam aut nullam eſſe ex largiore pituita, quòd uix eam vſtione qualitatē conſequatur quæ febris eſſentiam compleat. Veriùs dixeris, vt idem admonet, cùm laborans quotidie febre conflictatur, duplicem tertianam eſſe, hoc eſt, ſubeſſe materiam ſimilem ei quæ tertio quoque die ſolùm acceſsiones facit: ſed adeò multam, vt ſufficiat quotidianis exacerbationibus. Nimis certè vulgares ſunt nūcupationes febrium quartanarum, tertianarum & quotidianarum à circuitus motúſque ordine, cùm eadē febris quartana vel tertiana etiam quotidiana dici

Li. de feb.

Sub finem parad. 3. decad. 2.

poſsit, nimirùm quæ quotidie affligat pro materiæ eam fouentis vbertate. Hæc enim potiſsima eſt frequentioris vel rarioris ac tardioris circuitus acceſsionum cauſa, dum ſubeſt diſpoſitio in viſceribus, à qua breuiore aut longiore tempore plus aut minus humoris paroxyſmos effecturi gignitur. Rectiùs itaq; pro ſubiecto humore diſtinguas febres tum intermittentes tum etiam continuas his reſpondentes, vt vna ſit ex bile minoris famæ vocata eadémque frequentiùs quartana, non támen nunquam ſingulis diebus recurrens vel tribus de quatuor, dum ſcilicet largior eiuſmodi humor facilè procreatur: altera ex bile ſinceriore, quę dum parcior gignitur, non ante diem tertium repetit: vberior verò non ſolùm quotidianas facit irritationes, verùm etiam duas vno die. Atque eius typi febrē, ſi vulgares nuncupationes ſunt retinendæ, verè duplicem tertianā vocites, quòd tertio quoque die habeat duplicem paroxyſmum, vt quotidianam quæ ſingulis diebus affligit. Vtraque harum exquiſita eſſe poteſt: ad ſpuriam verò proximè accedit intermittentium tertia ſpecies de qua nunc agimus, quotidiana vulgò dicta.

ƈta. Eam fouet vel excitat bilis maioris Cauſa.
famæ nuncupata, hoc eſt, pituitoſior:
quæ vt copioſior eſſe ſolet & breui tempore
multa colligitur, ſic frequentiores
eoſdémque longiores facit paroxyſmos.
Eſt verò pituita quæ bilem inficit aliàs
tenuis, vt in tertiana ſpuria, aliàs craſſior,
vt in propoſita febre: quod ex ſymptomatis
licebit colligere, qualia ferè
proponit Galenus. Frigus extremitates Symptomata & ſigna.
primùm aggreditur ipſúmque naſum: inde
totum peruadit corpus velut diſperſa
glacies, ſine horrore vel rigore acri &
mordicante. Sequitur calor humentior
cum quadam acrimonia, quam non protinus
admota manus, ſed mora longiore
ſentit. Eſt enim caliditas, vt ſic dicam,
fumoſa largo vapori commiſta,
ſcilicet igne in multa humiditate cruda
ſuffocato potiùs quàm materiam euincente,
non aliter ac flamma ſub viridium
& craſsiorum lignorum aceruo. Pulſus
imbecillior & mollior deprehenditur:
adhæc minor & rarior quàm in cæteris
intermittentibus: ſimilis verò eſt tarditas
atque in quartana. Vrinæ ſunt albæ,
aliàs tenues, aliàs craſſæ & turbulentæ,
ſitis nulla aut certè minor
quam in aliis febribus. Nam lingua &

totum corpus hîc eſt humidiſſimum: vnde etiam vomitiones pituitoſæ, & quicquid per ventrem excernitur humidius & frigidius eſt, nempe aquoſum, pituitoſum & crudum. Ipſa verò declinatio non finitur ſudoribus ante totius morbi ſtatum aut attenuatam materiæ craſsitiem: cuius ratione & quòd acceſſiones ſint longiſsimæ, nimirùm decem & octo aut viginti horarum, ſpatium verò ſeu quies breuiſsima, fit vt rarò manifeſta deprehendatur ἀπυρεξία. Vix citra oris ventriculi iniuriā contingit: &, cùm diutius perſeuerat, plerunque ſplenis dolor ſuccedit. Exquiſita fuerit, quæ has omnes notas vel præcipuas obtinebit: cui verò deerunt, ſpuria. Iudicium verò confirmabitur, ſi tunc temporis febres eiuſmodi graſſentur in vulgus. Cōpetit præcipuè infantibus & pueris: ex grandioribus verò, omnibus pituitoſis & craſsis corpore, ocioſis, gulę & ebrietati deditis, balneo crebrò vtentibus, & præſertim à cibo: denique iis quorum corpus vniuerſum crudis humoribus ſcatet, vnde pallidus & plumbeus faciei color. Ex cauſis procatarcticis, hanc excitare ſolet hybernum tempus, aut alia quæpiam aëris conſtitutio humida, locúſve humidior.

Tertia-

Tertianam longitudine tantùm excedit, quantùm à quartana ſuperatur, in quam non rarò conuerti videtur vbi aliquandiu perſeuerarit. Eſt enim valdè ſimilis ac propè idem vtrique ſubiectus humor, & ſymbolo minimè obſcuro inter ſeſe conueniunt quotidiana & quartana febris: itaque non admodum diſsimili ratione curantur. Nam eadem ferè diæta præſcribi debet, quæ humori craſſo frigidiori aduerſetur,&, quantum fieri poteſt,aſſumenda omnia incidãt, attenuent & abſtergant dũtaxat oportet. Minùs vel minimè eſt humectandum,quòd materia humiditate magis quàm ſiccitate peccet: cúmque febris ipſa humectationem cum refrigeratione expoſtulet,ab his verò humoris ſubiecti qualitates noxiæ intẽdantur,difficilis euadit curatio. Victus.

Initio paroxyſmorum quando valdè premit frigus & vigilare nequit æger, fricandus & quouis modo calefaciendus excitandúſque eſt: nocet enim quamplurimùm eo tempore ſomno indulgere. Si eſt nauſea,vomitus prouocetur:& ſi fortè ſitiat æger, potus non cõcedatur quouſque multùm accenſus fuerit calor: maximè verò circa declinationem vinum album quàm tenuiſsimum mediocriter Curatio.

dilutum exhibebitur ad ſudoris prouocationem. Phlebotomia in hac febre omnium minimè competit, quòd improbè refrigeret corpus & pituitam crudiorem efficiat. Neque adhibenda eſt conditio, vt quidam faciunt: dum illam aiunt inſtitui poſſe ſi adſit plethora, cùm plethorico eiuſmodi febris nunquam accidat, ſed planè κακοχύμῳ. Frequentior verò debet eſſe purgatio vel non expectata humoris concoctione, quæ hîc tardiùs accidere conſueuit. Eſt autem materia parte ſui plurima in viis communibus, ſeu ventre inferiore totius corporis ſentina, vnde ad ſuperiores venas ſenſim effertur. Fugatur verò facilè etiã non præparata, quando in ventriculo & inteſtinis continetur: atque huius ratione frequentiſsimus clyſterum vſus conuenit, quos inſequentem modum præſcribes:

Clyſtera. ℞ mercur. pariet. & ciclæ an. M. ij. braſſicæ & abſinthij an. M. i. caricarum pinguium paria xij. ſeminis fœniculi ʒ iij. furfuris macri in panno ligati P. i. florum ſtœchados, roriſmar. & centaurij minoris an. P. ß. fiat decoct. In ℔ j. col. diſſolue hieræ picræ ʒ iij. diaphœn. ℥ ß. mellis mercur. ℥ j. ol. chamæmel. & aneth. an. ℥ ij. ſalis cõmunis ʒ iij. vel, ſi admodùm

ſopita

ſopita eſt vis excretrix, gemmei ℥ j. fiat clyſter. Iniiciatur ſingulis 3.vel 4.diebus extra paroxyſmum.

Si magis expurgans ἔνεμα neceſſarium videatur, pro diaphœnico vſurpabitur electarium indũ maius in pari quantitate: & quia multis non placet tam frequens clyſterum vſus, ne iis natura abutatur, eorum loco præſcribantur nonnunquam ſuppoſitoria vocata Græcis βάλανοι, noſtris glandes, quibuſdam collyria. Hæc verò fiunt ex melle percocto & modico ſale: efficaciora autem redduntur admixto puluere benedictæ vel hieræ picræ, vel ſale gemmeo. Ad cæteras expurgationes vſurpabuntur præter antedicta diaphœnicon, indum maius, & hieram picram, diacartamum, elect. de citro ſolutiuum, hiera diacolocynthidos & pilullæ fermè omnes, quòd agaricum, turbith, hermodactylos & colocynthida ex ſimplicibus φλεγμαφύγοις præcipua recipiant. Sic verò diſtingui debet earum adminiſtratio, vt quæ minimùm purgant ſint pro mineratiuis aut alterantibus: nimirùm de hiera ſimplici, & de aromatibus alephanginæ Barbaris vocatæ. Fortiores ad vehementiorem iam vtcunque apparati humoris expurgationem præſcribantur. Suppoſitoria.

Quæ myrobalanis carent, ante morbi totius declinationem: eiuſmodi ſunt de agarico, de hermodactylis, de ſarcocolla, de octo rebus, aureæ, cocciæ, arthriticæ, fœtidæ maiores, aggregatiuæ & ſimiles. Poſtremò aduerſus morbi reliquias & ad viſcerum corroborationem, quando amplius ſuſpectæ non ſunt obſtructiones, cōcedentur de.5.generibus myrobalanorū, lucis maiores & minores, pilullæ ſine quibus eſſe nolo, & ſimiles quæ myrobalanos abundè recipiunt. Iuſta cuiuſque ſpeciei doſis eſt ℥ j.vel ℈ iiij. Miſceri verò poſſunt fortiores fortioribus vel imbecillioribus eadem ſeruata proportione, vt natura eidem remedio non aſſueſcat.

Catapotia. ℞ maſſæ pilul.de hiera ſimplici & de agar. vel alterius ſecundæ claſsis an.ʒ ß. aut ℈ ij. cū ſucco fumariæ aut aqua hyſſopi, aut ſyrupo de ſtœchade, vel vino albo formentur pilullæ vij. vel viij.degluṫiantur ieiuno ventriculo.

Sic morbo iam penè ſoluto:

℞ maſſæ pilullarum alephanginarum vel hieræ ſimplicis, de.5.generibus myrobalanorū & ſine quibus, vel alterius poſtremi ordinis an. ℈ j. cū ſucco abſinth. vel ſyrupo roſato laxato vel aqua roſarum

rum fiant pilullæ quot voles.

Syrupi ad materiæ & meatuum præparationem hîc conueniunt, quales ad quartanam legitimã & quotidianam cõtinuam præſcripſimus: ſed magis quàm in hac calefacientes, incidẽtes, attenuantes & abſtergentes, ꝙ frigidior, craſſior & glutinoſior eſſe videatur quæ interpolatam fouet materia, quàm quę continuã: vnde & hoc nomine intermittens q̃ continua diuturnior eſſe conſueuit. Quãobrem ſequẽti modo parari debet ſyrupus:

℞ 5. rad. aperitiuarum maceratarum in vino albo an. ℥ j. Cort. citrij ſicci ℥ ß. maior. hyſſopi, ſaluiæ, ocymi caryophyll. orig. calamenti, nepitæ, vtriuſque pulegij, chamædryos & herbarum capill. communium an. M. i. comarum abſinth. M. ß. caricarum pinguium paria xij. pulpæ vuarum paſſarum ℥ j. ſeminũ aniſi & fœnic. an. ʒ. ij. ſileris montani, dauci & ameos an. ʒ j. florũ ſtœchados roriſmar. & ſaluiæ an. P. i. fiat decoct. Capę de col. ℔ j. ß. ſacch. rubri aut mellis deſpumati q. ſ. ſyrupi de ſtœchade & acetoſi ſimp. an. quart. i. pulu. diarrhodon ℈ iiij. fiat ſyrupus clarificatus & aromat. pro 4. doſibus. Reiteretur quoties opus fuerit: vel paretur ius cicerum rubrorum cum mul- Syrupus,

to petroſelino & herbis odoratis, quod per plures dies aſſumatur. Idem præſtabit hydromel, ſi fuerit meracius. Gal. primis diebus præſcribit oxymel & fortiora diuretica. Eiuſmodi eſt ſyrupus de artemiſia nobiliſsimus, quo æger vti poterit ex decocto betonicæ, hyſſopi aut alterius ſimilis facultatis herbę. Atque his viciſsim parabitur ad expulſionem materia: parata verò fugabitur ſuprà recenſitis medicamentis, eò certè mitioribus quò morbi ſtatus propior eſt, vt in quartana faciendum monuimus contra vulgarem & ipſius Gal. ſententiam. Purgans medicamentum in potionis forma pro iis qui pilullas deuorare neſciunt præſcribatur in ſequentem modum:

Lib. 1. ad Glauc.

Catharticon.

℞ polypod. quer. recentis ℥ ß. turbith albi & gummoſi ℈ iiij. hermodactylorum electorum ʒ j. capillorum Veneris & hyſſopi an. M. j. prunorum dulcium paria 4. paſſarum mundatarũ paria vj. s. aniſi ℈ ij. ſalis gemmei ℈ j. fiat decoct. in iure cicerum rubrorum. Cape de col. ℥ iiij. agarici recèns troc. in ea infuſi & expreſsi ʒ j. ß. ſyr. roſ. lax. ℥ j. fiat potio, vel:

℞ elect. diacartami aut de citro ſolut. ʒ iij. agar. recèns troc. ʒ j. Diſſoluãtur decoctione

decoctione prunorum dulcium, glycyrrhizæ & hyſſopi: fiat potio.

Si placet forma boli:

℞ elect. diaphœn. ʒ iij. vel indi maioris ʒ ij. cum ſacch. fiat bolus. Si forma ſolida magis delectatur æger: Bolus catharticus.

℞ diacartami vel de citro ſolut. ℥ ß. plùs minùs pro neceſsitate & viribus. Idem monemus obſeruandum in omnibus præſcriptis purgantibus, quę fortiora aut imbecilliora fient aucta vel diminuta ſingulorum doſi. Porrò cùm pituitæ omnium maximè aduerſetur colocynthis, & pilullæ propemodùm omnes φλεγμάφυγαι illam recipiant, prudenter animaduertendũ ſuadeo, vt non niſi optimè præparata concedatur: alioqui profectò grauiſsima infert συμπτώματα, quæ multi quotidie Pharmacopœorum ignauia maximo ſuo damno & Medicorum dedecore experiuntur. Eſt verò præparata in trochiſcis alandahal, hoc eſt, de colocynthide: quos prætereà diligentiſsimè conterere & in tenuiſsimũ puluerem redigere oportet, priuſquàm reliquis ſimplicibus permiſceantur. Atque eius rei admonitos eſſe decet medicamenta parãtes, ne vnquam niſi bene trochiſcatã & Elect. purgantia.

rurſus improbo labore tritam, imponant medicamentis quæ illius ſubſtantiam recipiunt. Vbi verò decoquenda eſt, ſufficit forcipibus inciſam panno lineo includere, & coquendis admiſcere: tunc enim ſola vis in decocto manet; dummodò per colum denſius tandem percoletur. Similis huic cautio debet annotari in turbith adminiſtrando, ſcilicet vt cùm eius ſubſtantia medicamentis immittitur, diligenter priùs tritum maceretur lacte muliebri, vel decocto vuarum paſſarum aut dulci alio liquore, & myrobalani craſsiore modo tritæ confricentur imbibantúrque oleo amygdalarum dulcium, violato aut dulci ac pingui alio ſucco. Eadem verò ſi decoctionem ingredi debeant, vt ſola facultas exhauriatur, non eſt opus tali præparatione, cùm turbith acrimoniam ſatis retundat aqua, & myrobalanorum aſperitatem ab earum ſubſtantia inſeparabilem non excipiat. Sed iſta ad medicamentorũ præparandorum & componẽdorum methodum pertinẽt, quam nos alibi tractamus. Ad curãdi rationem redeo.

Alterantium è numero quibus inter duas purgationes vtimur, erunt ſyrupi antedicti aut pilullę minimùm purgãtes,

vt

vt præmonuimus, vel pulueres & electaria ſolida quæ vtrique quartanæ cõuenire ſignificauimus. Ex cõſeruis autem, incidentes, calefacientes & non humectantes: hoc enim differt iſtius febris curatio à quartanæ curatione. Aſſumetur ergo conſerua florũ ſtœchados, roriſm. & ſaluię: conſerua helenij, acori & capill. Ven. cortex citrij ſacch. conditus: & quãdo inſignior fuerit humoris velut congelati frigiditas, zingiber viride. Ex his varia conficientur remedia, opiatę, teſſellæ, cõdita, mixturæ, &c.

℞ cõſ. capil. Ven. & acori vulgaris an. ℥ j. conſ. florum ſtœchados & roriſm. vel ſaluię an. ʒ vj. conſ. helenij ℥ ß. cort. citrij conditi ſacch. ʒ iij. vel zingiberis ſimiliter conditi ʒ ij. pulu. aromatici roſ. & diagalãgæ vel diambræ, vel diamoſchi dulcis (modò κεφαλαλγία grauis nõ vrgeat, vt ferè ſolet) vel plyris archoticôn, vel letificantis Galeni an. ʒ j. Cum ſyrupo de mentha vel conſeruationis cort. citrij fiat opiata: vel cum ſacch. albiſs. q. ſ. fi. conditum, aut mixtura auro decoranda. Opiata.

℞ pulu. aromat. roſat. deſcript. Gabrielis & diambræ vel alterius ex recenſitis an. ʒ ij. ſacch. albiſs. diſſoluti aqua mẽthæ vel abſinth. ℥ iiij. fi. elect. ſolidum Elect. ſolidum.

in tabulis pond.ʒ ij. His vtēdi modum & rationem in aliis affectibus ſatis explica-uimus. Cæterùm Gal. præcipit, vt circa ſtatum de ventriculo & eius præſertim ore ſoliciti ſimus: nos nunquàm negligendum ſuademus, & cùm hic perpetuò laboret imbecillitate, eius robori vel ab initio conſulendū eſt. Eū verò confirmabūt alterātia modò propoſita, ſed omniū maximè arom. roſ. Gabrielis, nec nō ſyrupi de mētha & de abſinthio: horum alterius ſumantur cochlearia duo ſingulis hebdomadis, vel illius in forma opiatæ, quæ eſt efficacior, ʒ j. Corallium vtrunque, præſertim verò rubrum de iis eſt quę ventriculum apprimè corroborare creduntur: vbi verò ſuſpecta eſt eius frigiditas, vt in præſenti affectu, calidioribus permiſceri debet vſtum & lotum aqua mēthæ vel abſinthij. Vnctiones ad ventriculum inſtitui ſolitæ an conueniant, multò ante docuimus. Vſus theriacæ hîc mihi magis placet quàm in quartana, cùm, ſeu recēns ſeu antiqua fuerit, perpetuò ſiccet: ſiccantia verò plurimùm noceant quartanæ, proſint autē quotidianæ febri. Eſt etiam, meo iudicio, vomitus à cibo conuenientior, quòd pituita in ventriculo & inteſtinis multa redundet, & ad

Lib. 1. ad Glauc.

Ventriculum roborantia.

Lib. 1.

Theriaca.

Vomitus.

ad ſuperiora commodiſsimè reuellatur. Cùm ad declinationem peruentum eſt, quibus vtendum ſit purgantibus, paulò antè monui. Poſtremò imperabũtur quę ad morbi reliquias dudũ præſcripſimus ſudorifica, diuretica, frictiones, exercitationes atque his ſimilia.

De quotidiana ſpuria. Cap. XIIII.

Quotidiana ſpuria nobis eſt, quæcunque ſingulis diebus acceſsionem habens ſuprà dictæ formam & typum non repreſentat, vt eo nomine dignè iudicari poſsit tertiana duplex vulgò dicta, aut triplex quartana. Si qua tamen præter has ſpuria quotidiana dici queat, ea ſit quãdo bilis (præcipua omnium febrium materia) non ſolùm à pituita, ſed etiam humore atro inficitur. Symptomata huic aderunt media eorum quæ legitimas quartanam & quotidianã demõſtrare diximus: & media inter vtrãque inſtituẽda erit curatio. Imprimis verò conueniet ſyrupus quẽ aduerſus quartanam exquiſitam præſcripſimus, partim laxans, partim ſolùm alterans. Valet enim ad expugnandum quemlibet humorem craſſum. Reliqua & in victus ratione & in medicamentis obſeruanda

Cauſæ & ſigna.

Curatio.

ex communibus ſcopis, facilè inueniet quicunque ingenio minimè tardus in ſuprà ſcriptis bene verſatus fuerit. Hactenus ſimplicium febrium ſimplicem curationem & , quoad eius fieri potuit, maximè compendioſam tradidimus, interim neglectis quæ eas comitari ſolent pleriſque accidentibus: de quibus paulò pòſt, quantum ad hanc tractationem pertinebit, diſſeremus. Priùs enim duo præſtanda nobis ſunt: vnum, vt demonſtremus nullam ſimplicis febris ſpeciem à nobis eſſe prætermiſſam : alterum, vt inueſtigemus an quædam ſint febres ſuapte natura compoſitæ, quot modis eadem aut diuerſa febrium genera implicari poſsint, & quæ ſit earum omnium curandarum certa methodus.

Febrium differentiæ à quibuſdam ſymptomatis. Cap. XV.

Λειπυρίαν, τυφώδη, ἑλώδη, ἠπίαλον, ſyncopalē, háncq; aliàs humoralem, aliàs minutam, vt recentiores vocant, diurnam, nocturnam, typicam & erraticam febrem noſtri prædicant, non diſtincta prorſus à ſuperioribus genera, ſed pro quorundam accidentium

dentium ratione diuerſis nuncupata nominibus. Λειπυρία dicitur, authore Gal. febris ea, per quam interiora vruntur, exteriora frigent. Actuarius nominis rationem eſſe vult, ὅτι λείπεται πυρὸς, hoc eſt, deficiuntur igne, ſcilicet calore deſtituũtur extrema. Huiuſmodi eſt καῦσος à Gal. κακοήθης nũcupatus: itẽ febris ex pulmonis vẽtriculi aut hepatis eryſipelate. Eandem inferre videntur aliæ quoque viſcerum quorumvis maximæ inflammationes. De genere continuarum eſt, & ſymptomatis naturam induit, nõ aliter quàm quæ pleuritidem, περιπνευμονίαν, aut alias inflammationes internas comitatur: de qua nos in tumoribus præter naturam dicemus.

Lipyria. Circa finẽ libri de inæq. intemp. & Commét. 4. lib. 2. progn.

Lib. 2. de dign. febrium ca. 1.

Lib. 2. de criſib. ca. 7.

Sunt etiam de continuis τυφώδεις, hoc eſt, fumoſæ: & ἑλώδεις, hoc eſt, humidæ quaſi paluſtres, in quibus à primo ſtatim die ægri ſudant ſudore nihil aut parũ iuuante. Sunt tamen qui velint τυφώδη eſſe quam excitat internum ἐρυσίπελας. Aëtius ſic diſtinguit: fiunt nonnunquam, ait, ἐρυσιπελατώδεις affectus circa quædam viſcera, καῦσον & hecticam febrem inducentes: & ſiquidem circa ventriculum fuerit ἐρυσίπελας, febrem inde accenſam λειπυρίαν nominant: ſi verò cir-

τυφώδης & ἑλώδης.

Lib. 5. ca. 89.

Gal. cõm. in aph. 42. lib. 7.

„ ca hepar, τυφώδη: ſi circa pulmonem, „ κρυμώδη, id eſt, gelidam, Porrò quòd extrinſecus frigeant, in cauſa eſt tumor præcalidus viſcera exercens, ad quæ illius ratione plurima ſanguinis & ſpirituum copia ſolet confluere: hinc enim fit, vt maximè turgeant omnia interna vaſa, externa maneant velut inanita. Ergo ſimplex non eſt affectus λειπυρία febris planè ſymptomatica, ſed inflammationis alicuius ſoboles, vnde curationem peculiarem minimè expoſtulat: cùm ſublata eius cauſa, id eſt, viſcerum phlegmone (de qua ſuo loco) ſponte deſinat, vti quæ pleuritidem & ſimiles affectus comitatur. De typhode ſimiliter cenſendum ex iam dictis facilè patet. Neque ἱλώδης peculiare quidpiam indicat præter ſudorem, qui certum morem febris ſic nominatæ demonſtrat. De eo verò ſymptomate in febrium ſymptomatis communibus agetur.

Epiala. Ηπίαλον febrem vocatam eſſe vult AEgin. vel ἀπὸ τῦ ἠπίυ καὶ ἅλος, nempe ducta à mari metaphora quod in ſumma etiam tranquillitate perpetuò agitatur, vel ab eo quòd febris hoc genus molliter

Lib. Meth. med. 2. ca. 1. & blandè calefaciat, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν. Nempe exiſtimat cum Actuario, febrem

brem eſſe quæ euidentem horrorem patiatur: cui febris ſuccedens magnitudine haudquaquam reſpondeat. Nos ex Gal. alium eſſe febris iſtius morem cõiicimus, vt per quam ſimul eodémque tempore horror & calor accidant, vnde meritò dicatur à Suida ῥιγοπύρετος dictione compoſita. Ηπίαλος verò, vt arbitror, fuit appellata, quòd inquietos & impatientes ægros non reddat, ſed ſinat, aut etiam cogat eſſe mites. Nam tametſi viſcera immodicè caleant, & externa quoque ad tactum calidiſsima percipiantur, æger quietus manet, nec membra iactat, nec corpus nudari patitur: nempe quia premitur aſsiduo rigore. Hinc fit vt ſcribat Gal. qui hac laborant, in ſingulis totius corporis partibus vel minimis ſimul eodémque tẽpore & frigus & calorem ſentire, quod nec ſenſus nec vlla ratio conſequi poteſt. Itaque fruſtra quæſiiſſe me fateor in Parad. quomodo per epialam febrem in eadem particula frigus & calor ſentiri poſsint. Non enim verum eſt ab eodem vtrunque percipi, ſed ab ægroto quidẽ frigus dũtaxat, ab alio verò tãgente calorem: atque id nõ rarò in pleriſque obſeruamus, præſertim hominibus obnoxiis defluxionibus & iis febrib. quas inſo-

Lib. 2. feb. cap. 6.

Lib. 2. de differen. febr. cap. 6. & circa finem lib. de inæq. intemp.

Prob. 12. parad. 4. dec. 2.

latio cõcitauit. Etenĩ diuerſa eſt materia quæ æſtũ facit,& quæ rigorem: nimirùm in corde vri oportet humorẽ à quo feruor excitatur & incendium:alter verò eſt qui per habitum corporis diſpergitur à ſupernis partibus defluens, quando præter ſolitum fuſus & liquatus fuerit, vel etiamnum liquatur. Eiuſmodi febres vulgus non ineptè catarrhoſas vocitat & ῥευματικάς, exprimítque ſudorem multis integumentis & calidorum lapidum admotione:quippe rigorem aſsiduum efficiens humor ſub cute deerrans eo modo exhauritur,ceſſátq; affectus febre ipſa deinceps ad multos dies nõnunquam perſeuerante. Eam verò vtplurimùm de genere continuarum quotidianarum eſſe agnoſcimus, &, ſi placet, vitream pituitam habere, quæ alibi fuſa & liquata per ſenſiles partes habitus corporis diſpergitur: in corde verò bili permixta accenditur, vnde ſolutu contumax febris euadit. Et quòd ad curationem attinet, iiſdem tollitur remediis,quibus quotidianam intermittentem legitimam ſanauimus, nempe calidioribus quàm ſit vtendum in continua eiuſdem generis, ſed cui pituita adeò frigida & craſſa non adſit. Hæc enim quando continuam facit, non minùs calefa-

lefacientia quàm intermīttēs expoſtulat, aut etiam calidiora: quoniam maior tunc ratio eſt habēda ſubiectæ materiæ quàm febris, vt in aliis quibuſdam anteà monuimus. Ergo peculiarem tractationem ἠπιάλῳ non debemus: de ſymptomate verò illam à cæteris vtcunque diuerſam efficiente, ſcilicet rigore perpetuo, vel excellenti frigore & eius cauſa defluxione, in ſymptomatis commodè agemus.

Syncopalem vocant febrem, in qua animi deliquium, &, vt vulgus ait, cordis defectionem perſentiunt ægri, tametſi præceps virium omnium lapſus nōn cōtingat. Eius ſpecies duæ ſunt, vt antè diximus: & humoroſa quidem fit, à multo & craſſo humore pituitoſo in ventriculo redundante ex multis cruditatibus, quoties illum onerat, aut meatus caloris occupat. De hac Gal. lib. 12. Meth. med. Minuta verò ſiue ſubtilis, ex prætenui ſucco eundem ventriculum lancinante & adeò pauco, vt dici poſſit cauſa non proportionata ad materiā, veluti de tertia cōuulſionis ſpecie noſtri dicunt. Eſt enim bilis pauciſsima, ſed tenuiſsima & valdè penetrabilis, quæ in os ventriculi ſe altè inſinuans id maximè pungit aut vellicat, deleteriæ qualitatis particeps & arroders

Syncopalis duplex

Cap. 2. 3. 4. & 5.

erratica, acceſsionum febrilium ordinem & horam ſignificantes, nõ ſpecie diſtinctas à ſuperioribus febres. Diurnã ſiquidem appellant, cuius paroxyſmi interdiu fiunt: nocturnam quæ noctem ſolùm aut præcipuè occupat. Huiuſmodi verò differentias ab Hipp. frequẽter commemoratas quotidianis vocatis aſsignat Gal. quòd cùm magna ex parte noctu ſæuiãt magis, nonnunquam tamen diurnæ ſunt perinde ac tertianæ & quartanæ. Typica febris dicitur, quæ paroxyſmos ſtatis periodis habet. Erratica verò, quę nec tẽpus nec ordinẽ vllum ſeruat, nũc in hãc, nunc in illam incidẽs horã, & modò quartanæ, modò tertianæ aut quotidianæ formam repræſentans. Alia eſt natura præoccupantium & tardantium, atque earum quæ paroxyſmos ſubintrantes habere dicuntur, ſi ſuæ inconſtantiæ proportionem quandam obſeruent: nempe vel perpetuò anticipent horam poſtremæ acceſsionis, aut tardiùs recurrant; idque certo vel incerto interuallo & durationis menſura. Subintrantes paroxyſmos habent nonnullæ de compoſitarum vel complicatarum genere, adeò vt priuſquàm vna planè deſinat altera incidat acceſsio. Sed neque iſta febrium ſpecificas differentias

Diurna.

Nocturna

Lib. 1. & 3. Epid.

Comm. 3. in 3. Epid.

Typica.

Erratica.

conſtituũt,à quibus indicetur alia curandi ratio quàm hactenus ſit tradita. Id tantùm obſeruare ſuadent, vt cibandi & καθαρτικὰ propinandi occaſio dexterè vſurpetur, ne quid detur in acceſsionibus præter ea quæ in ſuperioribus conceſſa fuere.

Quintana &c.

Quintanam, ſextanam, ſeptimanam, nonanam, ac ſi quæ rariores periodos habent, vt annuam vel anniuerſariam (qua Antipater Sidonius Poëta laboraſſe dicitur omnibus annis, vno die tantùm eóque naturali febre corripi ſolitus, vt refert Plinius) de induſtria prætermiſſas neglexiſſe videmur, quòd nondum à nobis ſint obſeruatæ: Gal. verò ſuadeat huius rei iudicium ad vſum & experiẽtiam, non ad rationem referendum: vt ſi quis exactè viderit & ſæpius obſeruarit (neque enim bis aut ter vidiſſe ſatis eſt, eodem authore.) quintanos vel longioris intercapedinis aut intermiſsionis paroxyſmos, eiuſmodi circuitus incidere certò affirmet. Sin non animaduerterit ſæpius & per multos annos Medicinam exercens, ſit penes Hipp. & alios qui tales vidiſſe creduntur fides. Non tamen aſſentior Gal. dũ ait, nullis ſignis eas dignoſci & ex nullis humoribus oriri poſſe. Nam ſi

Lib. 7. cap. 51.

Comm. 2. ſectionis 3. lib. 7. Epid.

Lib. 1. epid. cõ. 3.

verum

verum eſt quod ſcribit AEgin. quartanam febrem nonnunquam plurium dierum interuallo iuxta quaſdam periodos acceſsionem habere, eiuſmodi omnes ad quartanam referentur, & à ſimili humore prouenient, ſcilicet bile minoris famæ: quæ cùm in maiore copia eſt, non modò quartanos, ſed tertianos etiam & quotidianos facit paroxyſmos, vt in quotidiana præmonuimus. Eadem planè ratione parcior quæq́ue multum temporis ad iuſtæ quautitatis ſui generationem & collectionem requirat, quartanis rariores affectiones efficiet. Eſſe verò eam materiam quæ ſuapte natura cæteris rariùs tardiúſque accenditur eiuſmodi febrium, ſi quæ ſunt, excitatricem & fomitem ratio ſatis docet. Ergo iiſdem quoque notis deprehendetur, quibus legitima quartana, ſed obſcurioribus, hoc tamen excepto, quòd non æquali intermiſsione recurrat: ſed id de febris eſſentia non eſſe, & omnium maximè errorem inducere anteà monuimus. Similis verò erit adhibenda curatio, ſed eò certè facilior, quò plures dies febris intermittit. Nam licet per eos egregiè & purgare & alterare, naturámque robuſtiorem efficere. Ex his demùm colligas non eſſe

Lib. 1. cap. 22.

plura ſimplicium febrium genera, quàm hactenus recenſuerim. Itaque iam ad compoſitarum vel complicatarum explicationem aggredior.

De febribus compoſitis. *Cap. XVI.*

Cap.7.2. de Criſ. Febris cōpoſita duplex Gal.

GAlenus compoſitam febrem appellat, tum eam quæ ex partis alicuius phlegmone oritur ſymptomatica dicta, tum eam quæ alteri febri commiſta vel implicita eſt. Verùm ſymptomatica febris non eſt compoſita, vt ille exiſtimat: niſi tamen ex duabus vel pluribus phlegmonis totidem febres incendantur, quæ ſeu eiuſdem ſeu diuerſæ ſpeciei ſint, confuſam mixtámve vnam conſtituant. Si verò vnica eſt inflammatio, vnica etiam & ſimplex febris eſt, non compoſita. Sed febris cum phlegmone compoſitum morbum facit. Sunt ergo tantùm compoſitæ febres, quando vel eædem, vel differentes genere aut ſpecie inuicem concurrunt, non ſi aliis copulentur affectibus. Illud verò bifariàm accidere poteſt: aut enim ἐπιπλοκὴν, id eſt,

Febris ſymptomatica nō eſt compoſita.

eſt, complicationem duntaxat patiuntur: aut etiam κρᾶσιν, id eſt, mixtionem. Ἐπιπλοκὴν eſſe vult Galen. quando horis diuerſis compoſitæ febres inuadunt, vt ſingulæ diſtingui poſsint. Κρᾶσιν verò, ceu confuſionem quandam & quæ minimè aut vix diſcerni poſsit compoſitionem: ſimul enim incipiunt & deſinunt. Porrò componuntur inuicem febres aliàs continuæ continuis, aliàs intermittentes intermittentibus, nonnunquam intermittentes continuis: & in his omnibus ſpectatur genus & ſpecies eadem aut diuerſa. Eiuſdem planè generis & ſpeciei compoſitio eſt, dum καῦσοι duo, aut duæ tertianæ continuæ, &c. vel duæ tertianæ intermittentes, vel quartanæ tres, &c. ſimul conueniunt. Diuerſi tum generis tum ſpeciei eſt, quando tertiana intermittens quotidianæ continuæ coniungitur, vt in ea febre quam ἡμιτεταῖον vocant, & ſimilibus. Diuerſi autem generis & eiuſdem ſpeciei fuerint, ſi continua tertiana tertianæ intermittenti copuletur, aut καῦσος tertianæ exquiſitæ, &c. Eiuſdem verò generis & diuerſæ ſpeciei, quoties intermittens quotidiana tertianæ

Lib. 1. de diff. feb.

Compoſitæ febres quotuplices.

intermittenti iuncta fuerit, &c. aut continua quartana continuæ tertianæ vel quotidianæ. Atque ex his quæcunque idem genus & ſpeciem ſortitæ ſunt, κρᾶσιν & confuſionem pariunt. Neque enim diſtingui poſſunt ſenſibus, ſed ſola ratione. Præter eas etiam, confuſas noſtri appellant omnes febres ex diuerſis humoribus ſimul eodémque loco, vt illi volunt, putreſcentibus: cuiuſmodi ſunt ſpuriæ omnes. Et cùm par eſt confuſarum modus, vix vllum poſſe definitum genus ſignari arbitrantur: cùm verò impar, confuſam febrem eius quæ pollet potiórque eſt genus noménque ſortiri, vt habet Fernelius. Proinde quæ plus bilis vſtionem patientis quàm cæterorum humorum nacta fuerit, tertiana appellabitur, ſed notha. Et quotidiana illegitima, in qua non ſincera pituita, ſed alterius quidpiam humoris vnà ſuccendetur. Quartana ſpuria, in qua melancholia aliis etiam humoribus perfundetur. Quæ ſi vera eſſent, nulla febris non confuſa videretur, quum in febre humor qui præcipuè vritur ſit bilis, vt in Paradoxis abundè probauimus: ea verò nuſquam in venis ſincera & impermixta reperiatur. Hæc ipſa dum con-

Febres cõfuſæ.

Lib. de feb.

Parad. 3. dec. 2.

conflagrat, alios quoque accendit humores. Neque nos ſimplicem & exquiſitam febrem definimus, ex vnius ſimplicíſque humoris vſtione natam: ſed quæ ex vnius aut alterius humoris dominio & excellentia in quadam ad alios proportione ſuſcitatur: quod ex ſupradictis in febre quotidiana licet colligere. Neque fateri poſſum tot febres adeſſe, quot humores vruntur. Alioqui dum ſanguinis maſſa accenditur (vt in ſynocho, de omnium conſenſu) quatuor ſimul febris ſpecies naſcerentur, ſanguinea ſcilicet ſynochos minimè putris vocata, necnon quotidiana, tertiana & quartana, vt ſingulis humoribus ſingulæ reſpondeant. Aſt vnica & ſimplex febris eſt, quæ à prædominante poſt bilem humore vnico hãc vel illam ſpeciem induit. Compoſitam verò eandémque confuſam eſſe anteà recepi, quæ ex duplici ſaltem occaſione oriretur, vt ex inflammatione diuerſas partes occupante, dum ex ſingulis continua febris ſuſcitatur: atque ea ex ſimplicibus vel iiſdem vel diſsimilibus conſtat: vt ſi hepar exquiſita phlegmone laboret, & pulmo eryſipelate, ab hoc bilioſa magis, ab illo verò ſanguinea febris

ſimul eodémque tempore (ſi eodem etiam tempore tumores hi fiant) prouenient. Sin vtrunque viſcus patiátur eryſipelas, ab vnoquoque eorum febris ardens excitabitur, &, duabus eiuſdem naturæ ſimul concurrentibus, vehementiſsima fiet lipyria. Sed iſta ad curandi rationem minimè faciunt, cùm ſi non dignoſcantur nihil indicent, & quanuis ſeorſum internoſci poſſent ac eluceſcere quæ eiuſmodi confuſionem pariunt, tamen curatio eadem remaneret. De implicitis vocatis minùs liberè audeo iudicare, num curandi artem huc-uſque traditam immutare queant, vt ſit earum contemplatio hîc neceſſaria, vbi nihil otioſum & inutile proponi debet.

Implicitæ febres. Implicitæ dicuntur, quæ diuerſis horis incipiunt & deſinunt, vnaquaque ſeorſim conſiſtente propriámque eſſentiam habente, tametſi acceſſionum partes quædam in tempus idem concurrere poſsint. Atque id intermittentibus peculiare eſſe videtur, vt duæ vel plures eiuſdem aut diuerſæ ſpeciei complicentur. Huiuſmodi eſt duplex quotidiana, cùm duæ acceſsiones vno die fiunt typis defini-

definitæ, quod in tertiana verè duplici potiùs accidere priùs annotaui. Aliis duplex tertiana dicitur, cuius acceſsiones quotidie fiunt, ſed nec pares nec iiſdem horis: ferè enim quæ diebus imparibus fiunt acceſsiones ſimiles inter ſe ſunt, atque iis diſsimiles quæ in dies pares incidunt. Nempe vna tertianæ exquiſitæ formam retinet, altera ſpuriæ vel eius quæ quotidiana dici ſolet, vt non iam ex ſimilium ſpecierum implexu fieri videatur quam duplicem tertianam vocitant. Idem cenſeo affirmandum de quartana duplici ac triplici, quarum acceſsiones rarò pares obſeruantur. Si enim typum ſimilem non habent, eiuſdem ſpeciei nō ſunt, cùm ſingulas ſpecies diſtinguat acceſsionum forma pro ſubiecti humoris conditione. Ergo diuerſarū ſpecierum intermittētes ſunt, quæ omnium frequentiſsimè, non (vt ſcribit Fernelius) perquam rarò implicantur. Idque facillimè etiam primis diebus animaduerti poteſt. Qui enim probè exercitatus fuerit in notis ſuperiùs traditis, quibus mox ab initio & ex prima acceſsione diſcernimus fore tertianam quartanam vel quotidianam legitimas aut ſpurias, quamlibet De feb. cap. 15.

plures ſæpius contingant paroxyſmi,ſingulorum ſpecies ritè diſtinguere poterit. Difficilius eſt quod poſtremo loco proponitur de hemitritæo, hoc eſt, ſemitertiana febre. Eam verò eſſe dicunt, vbi quotidianæ continuæ tertiana intermittens coniungitur, vel contrà quotidiana intermittens tertianæ continuæ: ita vt die vno acceſsiones duas habeat, altero vnicam. Atque ſi pares ambo fuerint humores, bilis & pituita ſcilicet, exquiſitam eſſe vtranque ſemitertianam prædicant: differre autem à tertiana & quotidiana continuis, quòd harum exacerbationes ſine horrore præhendant, & nullo ſudore inclinent: non tamen vt in intermittentibus ſudorem ſequitur integritas, ſed alterius continuatio. Ego illorum ſententiæ ſubſcribo potiùs, qui, vt refert Gal. impoſsibilem eſſe putant miſtionẽ cõtinuę febris cum intermitẽte. Simul enim & febrem intermittere,& nõ ſine febre hominem deprehendi, eſt de iis quæ fieri non poſſe videntur. Simile eſt quod idem refert nihilominus admirandum, ex intermittentium duntaxat miſtione nonnunquam accidere,vt nulla quies ægrotanti adueniat,& continua febris

Semitertiana.

Lib. 2. de Criſib. ca. 9.

Ibidem.

bris eſſe putetur. Cùm enim plures inter- "
mittentes inuicem complicantur, inquit, "
ſiue eiuſdem generis ſiue diuerſi, ſecun- "
da vtplurimùm anticipat aduenire, an- "
tequàm prior ad infebricitationem per- "
uenerit: hoc verò potiſsimum accidit in "
longioribus paroxyſmis, &c. An veriùs dicas ſemitertianam & quancunque aliã continuò affligentem duntaxat continuã eſſe: has verò & illas exacerbationes, cuiuſmodi intermittentes habent, continuis accidere poſſe (vt certè accidunt) ea ratione quam non multò antè reddidi, cùm de intermittentibus febribus agere cœpimus? Sit enim materia multa quæ in corde & proximis illi vaſis febrilem calorem multos dies fouere poſsit: ea continuam excitabit. Quòd ſi prætereà nouus humor quotidie vel alternis diebus ad incendij locum perueniens accendatur, febris tunc excandeſcet: atque ſi maiore impetu focum ſubeat, quia flammam aliquanto tempore obruit tepiditas, vel etiam frigus & horror externas extremáſque partes facilè occupat. Neque difficilius eſt aſſequi, vnde manet ſudor, poſt quem febris continua eſſe non deſinit. Qualis enim modus inuaſionis & terminationis febrium intermittentium eſt, ta-

lis febribus continuis per eiuſmodi exacerbationes adeſt. Eam ob rem intermittens continuæ mixta dicitur: quod eſt febrem aſsiduam irritationes habere, quales omnino ſunt intermittẽtium febrium acceſsiones. Neque id aliud demonſtrat, quàm diuerſi generis materiam ſubeſſe, nimirùm craſſam & viſcidam quæ aſsiduam cõmittit febrem, & aliam tenuiorem ſimúlque paucam, vnde fiunt exacerbationes. Pauciorem verò & tenuiorem eſſe facilis diſcuſsio vel abſumptio manifeſtè docet: nempe ſolet intrà paucos dies conſumi portio quæ irritationes faciebat, reliquo humore pertinaciter febrem cõtinente. Ergo febres non ſunt alterius generis, quàm hactenus propoſitæ. Hoc tantùm ab aliis continuis differunt, quòd tenuiorem nactæ materiam exacerbationes propter horrorem manifeſtiores patiantur & ſudorem. Quæ verò incertis horis paroxyſmos habent, vel eoſdem anticipantes vel ſubintrantes, meritò errabundas (tametſi ęgrè conceſſerit Gal.) appellauerim, non ſecus ac intermittentium nonnullas, quæ nec typum nec ordinem vllum ſeruant. Hinc non ſine ratione concludam methodum curandi has febres cum ſuperiore planè conue-

Curatio compoſitarum febrium.

conuenire. Id modò eſt obſeruandum, vt quæ materia frequentes acceſsiones facit primo loco pellatur. Nam aſsidua febre quæ eundem ferè tenorem habet longè moleſtior eſt quæuis exacerbatio, & tenuior materia facilè vel abſque vlla præparatione fugari poteſt. Eſt verò ſemper tum à facilioribus, tum ab iis quæ magis infeſtant aggredienda omnis curatio. Quibus autẽ remediis hæc omnia tentari debeãt ex ſuperioribus repetẽdum eſt.

Sequitur vt tandẽ (quod non ſemel ſumus polliciti) ſymptomatis proſpiciamus, doceamúſque eorum mitigationem: quippe vera curatio his non debetur, aliúdque ipſa nihil expoſtulant præter ipſius morbi (quæ ſymptomatum omnium cauſa eſt) ſublationem. Attamen interim dum morbus planè curatur, eorum niſi frangendus, at certè reprimẽdus blãditáque curatione molliendus eſt impetus, quò faciliùs patientiúſque præcipuũ affectum æger perferat. Primùm verò accuratè diſcernendum, ſi quid præter febrem ægrotum diſtorqueat, ídne ex febre vt proprium eius ſymptoma naſcatur, an ex alio morbo qui febri ſit implicitus: quippe huic peculiaris & ſeorſum tradẽda curatio præſcribi debet. Præter-

cà cùm febrium ſymptomata quædam leuia ſint, quędam adeò ſæua vt laborantem pluſquàm febris exerceant, & vires nimiùm fatigent diſſoluántq;: illis prorſus neglectis horum ſedationem aggrediamur.

DE COERCENDIS
reprimendíſque febrium Symptomatis. Lib.iij.

Febrium ſymptomata.

FEBRIVM Symptomataquæ plerunq; ægrotantes grauiſſimè afficere atq; diuexare ſolent, hæc ferè ſunt: æſtus immodicus, laſsitudo, & vniuerſi corporis velut contuſio cum maxima imbecillitate, eiuſdémque iactatio, oppreſsio, dyſpnœa, tuſsis, lumborum & capitis dolor, vigiliæ aut ſopor, delirium, ſitis: linguæ ariditas, nigredo, ſcabrities & ſciſſuræ, lentor circa dentes linguam palatum & in ſuperiore gula moleſtiſsimus deglutiendi difficultatem inducens, guſtus hebes vel deprauatus, cibi faſtidium, nonnullis fames penè inſatiabilis, nauſea, vomitus, alui aſtrictio, & quandoque profluuium, ſingultus, lipothymia

thymia, ſyncope & icterus: præter quæ febres intermittentes plerunque moleſtum habent frigus, horrorem vel rigorem,& ſudorem nonnunquam immoderatum: quorum tamen nonnulla quibuſdam etiam continuis, vt hemitritæo, ex ſimili occaſione accidere paulò antè monuimus.

De Æſtu. Cap. I.

AEſtus febrium Symptoma eſt, quod proximè feruorem & incendium comitatur aut proſequitur. Eius remiſsio fit non modo expurgata bile (quæ vera curatio eſt) ſed etiam frigidorum vſu, & maximè aſſumptorum, quæ aduerſus calidam intemperiem nudam & ſimplicem dictauimus: in primis verò frigidi aëris inſpiratione.

De laſsitudine & contuſione. Cap. II.

LAſsitudo & contuſionis, ſenſus eſt à plethora vel cacochymia: Cauſæ. quarum illa quidem grauat premitque, hæc verò laceſsit, mordicat & ægrè ferri poteſt. Hac vtraque ex cauſa, ſed modò hac modò illa membra & defatigata & ad intima vſque oſſa velut con-

fracta videntur. Horum verò ſymptomatum nulla eſſe poteſt remiſsio, priuſquàm deonerentur vaſa, quod etiam morbi tocius ratione ſtatim ab initio faciendum præcepimus. Sic enim aliqua ex parte leuata natura reliquum faciliùs euincet atque ſuperabit.

De imbecillitate. Cap. III.

MAximæ imbecillitatis quam vel à primo inſultu percipit æger. eadem quæ ſuperiorum ſymptomatum ratio reddi poteſt: tunc enim grauatæ ſunt nondum tamen diſſolutæ vires. Aſt imbecillitatis huius potiſsima cauſa eſt calor immodicus, vt qui vires plurimùm eneruare ſoleat. Etenim qui modò alacer & robuſtus erat, mox ſeipſum ægrè ſuſtinet dum febrem patitur, humorum ſarcina tam breui temporis ſpatio non multùm adaucta. Recreantur vires ex tali occaſiõe deiectæ, iis quę inaniunt & æſtum mitigant, non (vt imperitum vulgus æſtimat) alimentis, à quibus ſuſcitatur maior febris, & corporis grauitas augetur. Omnium verò maximè competit frigidior aer. Nam calidus & concluſus intemperiem quæ imbecillitatem facit promouet, & cordis neceſsitati non

Cauſa.

Imbecillitatem quæ mitigant.

non ſatisfacit. Quantum ille proſit & hic noceat, teſtatur experimẽtum eorum qui præcipitem virium omniũ lapſum (συγκοπὴν Græci vocant) patiuntur ex laborioſa compreſsione & loco multa hominum frequentia expirationéque calefacto: ſiquidem aëri frigidiuſculo reſtituti mox ad ſeſe redeunt.

De iactatione. Cap. IIII.

IActationis cauſæ ſunt æſtus & ſenſus cõtuſionis: vnde maxima inquietudo naſcitur ægrum modò ad alterutrum latus, modò ad pedes agitans. Calor enim mobilitatem facit, vt præter alia infinita docent quibus ex phrenitide cerebrum æſtuat. Contuſionis verò & laſsitudinis ſenſus eſt veluti dolor, cuius ratione locũ æger ſubinde mutat, quietẽ fruſtrà quæritans. Ad id quoque facit morbi materia in venis turgens, quæ huc atque illuc corpus inquietum ſuo modo ferri cogit. Huius ſymptomatis remedium nullum eſt, præter æſtus ſedationem, & depletionem venoſi generis. Interim verò præcipiendũ, vt æger quantum poteſt patientiam exerceat: cùm verò durare nequit ampliùs, artus vel vniuerſum corpus placidè com-

Cauſæ.

Iactatio-ni qua ratione occurrendum.

moueat. Nimia enim & frequẽs agitatio magis calefacit & æſtum adauget, corpus fatigat & frãgit, atque humores longè latéque ſpargens expulſionem eorum difficiliorem reddit.

De oppreſsione. Cap. V.

Oppreſsio multos diuexat, non minima iactationis cauſa. Ea enim penè ſuffocans ægrotantẽ huc & illuc agitat & impellit. Fit maximè ab humore acri, bile praſina vel æruginoſa ventriculum diſtorquente, aut ab humorum copia qui in præcordiis aut viſceribus firmati ventriculum & diaphragma comprimunt, aut denique à iecoris vel lienis inflammatione. Huic ſymptomati ferè comes eſt hypochondriorum tenſio, vt & in contactu preſſúque dolor.

Cauſa.

Sedatur vomitu, cuius concitãdi rationem in curatione febris diariæ ſuprà docuimus: aut alui ſolutione per clyſteres, qui poſsint materiam à ventriculo & partibus circumpoſitis ad inteſtina deriuare. Sin minùs, purgante medicamento ore aſſumpto. Fruſtra verò inũgitur ventriculi regio, niſi aut hepate aut liene phlegmone tentatis: quippe cùm vis medicamenti

Quibus ſedetur oppreſsio.

medicamenti ad illum non facilè perueniat:atque ſi peruenit, humores tamen etiamnum diffundendo, & ventriculi tunicas relaxando noceat. Ea enim eſt verè anodyni medicamenti natura. Deoneratus iam ventriculus recreetur & corroboretur iis quæ ad illius ardorem præſcripſimus. Si phlegmone iecur vel lienem exerceat (vnde omnium grauiſsima oppreſsio fit) quidnam agendum, in tumoribus præter naturam aptiùs conuenientiúſque explicabitur.

De dyſpnœa. Cap. VI.

DYſpnœa(nõ parui in morbis omnibus ac preſertim acutis momẽti)ex oppreſsione ſæpius accidit, eadémque ſummota & ipſa ceſſat. Fit etiã præ maximo æſtu & incendio, dum pulmones cor ſatis euentilare nequeunt, etiã quoties multo humore ipſi turgent aut & vaſa in thoracis capacitate locum habentia: necnon ex virium maxima imbecillitate, vt moribundis præinſita caloris & ſpirituum inopia, vnde thoracis muſculos nequit mouere facultas. Hanc dyſpnœæ cauſam emendabis(ſi fieri poſsit) alimentis, quæ facillimè coquantur & di-

ſtribuantur ocyſsimè, maximè verò halituoſis & ſuaueolentibus, quæ nobis ſpiritibus gignendis promptam & accommodatam ſuggerunt materiam. Si copioſior in vaſis thoracis humor dyſpnœā pa rit, ea inanito corpore vniuerſo per phlebotomiam aut purgationē mox deſinet. Quæ verò à deſtillatione vel peripneumonia vel pleuritide, aut alia cauſa pulmones & thoracem admodùm implente proceſsit, non debet in febrium ſymptomatis recenſeri, ſed ea potiſsimùm quæ febrem & incēdium maius conſequitur. Huic autem medetur omnium efficaciſſimè frigidi aëris in ſpatioſo loco liberrima inſpiratio, eiuſdémque ſemper recentis ex frequenti euentilatione vſus. Calidior enim propemodùm ſuffocat, vt thermis incluſi experiuntur: non aëris penuria, vt vulgus ait, (quippe aëris plenus eſt locus) ſed calore à quo ad cordis recreationem ineptus redditur. Neque hîc negligenda epithemata ea, quæ dū cor proximè refrigerant, reſpirationis difficilis cauſam apertè reprimunt. Si tamē ea thoracem vt grauare poſsint vereamur, cui tunc omnia ſunt grauiſsima, fiet duntaxat inūctio ex oleo violaceo, nenupharino aut papauerino, vel ex delicatiſsimo

lini-

linimento, quale modo ſequenti parabitur:

℞ ſucc. portulacæ, lactucæ & vmbilici Veneris depurat. an. ℥ ij. oleorum viol. & nenupharis an. ℥ j. ß. caphuræ ℈ ij. ceræ albæ q. ſ. fiat linimentum. Vngatur vniuerſus thorax antè, retrò & à lateribus. Adſtringentia omnia hîc valdè ſuſpecta ſunt, quòd thoracem coarctando reſpirationem multò difficiliorem efficiant. Linimentum.

De tuſſis. Cap. VII.

TVſsis arida, hoc eſt, per quã nihil expuitur, plerunque ſolet febres ardentes comitari non parum moleſta. Siquidem capitis dolorem & alium quemuis præ commotione exacerbat, vigilias infert, dyſpnœã grauiorem facit, febrem magis accendit, & eandem iam inclinantem redintegrat pulmonibus ex contentione magis magíſque calentibus. Accidit verò febris ratione (quã enim deſtillatio frequẽtiùs excitat, hîc negligimus) ex intemperie calida & ſicca inſtrumentorum quæ inſeruiunt reſpirationi, vel faucium aſperitate, ad quam illidẽs ſpiritus offenditur. Hipp. admonet, quibus vtplurimùm ſiccæ tuſſes Cauſæ. Aph. 54. ſect. 4.

leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, eos ſiti non multùm infeſtari: cuius rei rationem eſſe vult Gal. quia propter motum in tuſsi factum ex locis vicinis humor aliquis defluit, vnde quodãmodo madeſcũt loca que ad aſperã arteriam pertinent, ideóque minùs ſiticuloſi fiunt ægrotantes. Eſt tamen ſedandus affectus propter antedicta incommoda, quæ magis quàm ſitis vrgent. Eius verò curatio eadem eſſe poteſt, quæ ſitis & aſperitatis: ſiquidem valdè humectantibus & leniẽtibus ore diu cõtẽtis ſenſimq; in trachæã & pulmones illabentibus, tuſsis cauſa omnino deletur aut certè minuitur. De his verò in ſuperioribus abũdè: ſolus vtẽdi modus hoc loco explicãdus nobis eſt.

In cõm. eiuſdem aphór.

Βηχικὰ ſolent vulgò ex viſcidis & craſſis parari, ſic vt totius cõpoſitionis moles & cõſiſtentia craſsior maneat. Id ex Gal. præcepto vel imitatione factum videtur; cui planè aſſentior, quando ſiſtenda eſt fluxio pulmones vel trachæam irritans & ad tuſsim excitans. Etenim ſua craſsitudine inſpiſſantia humores ad fluendum ineptiores efficiunt, & ſuo lentore circa guttur hærentia eoſdem ſiſtũt quaſi præoccupatis meatibus: vnde partes ſubiectæ à rheumate immunes euadunt vſu ęclegmatum

Bechica.

19. cap. lib. 5. de ſimplic.

eclegmatum & eorum quæ ὑπογλώττια vel ὑπογλωττίδες nũcupantur, ſeu tabellæ fuerint (qua forma diatragacanthum parari conſueuit) ſeu τροχίσκοι, vt quas noſtri pilullas ſub lingua vocitãt. His enim linguæ ſubditis (vt docet Gal.) & ſenſim liqueſcentibus afficitur larynx cum ſuperioribus trachęę arterię partibus, ad quas peruenire poteſt diſſoluti medicamenti viſciditas. Proinde etiam alia ſunt ἀρτηριακά, id eſt, aſperæ arteriæ & laryngis aſperitati, vlcerationi aut aliis affectibus medentur: ad pulmones verò non perueniunt, aut certè minima & facilè negligenda quantitate. Siquidem ὑπογλωττίδια ægrè permeant viſcida & craſſa: & quod penetrat, laryngis ac trachææ arteriæ lateribus ſic adhæret, vt vix ad pulmones illabatur. Neque verò eſt quòd ſperemus dum per gulam deſcẽdunt (nam maxima eorum pars tandem ad ventriculum peruenit) in trachęam gulæ contiguam nonnihil deerrare poſſe. Nam denſior eſt οἰσοφάγος & quæ illum attingit trachæę tunica, vt craſſum viſcidúmque medicamẽtum, etiamſi diutius retineretur nec præterlaberetur, tantùm penetrare valeat. Ergo ſiſtendis & inſpiſſandis καταῤῥοις, vel ſanandis affectibus laryngis & partium

Cap. 1. li. 7 κατὰ τόπους.

Arteriaca.

trachææ ſupernarum, multóque magis Lib.4. Meth.c.7. ipſius œſophagi (vt docet Gal.) conueniẽt craſſæ conſiſtentiæ medicamenta. Cùm verò pulmones aut aliæ thoracis partes laborant, & vel ab iis quidpiam eſt reiiciendum vel corrigenda intemperies, liquidiora præſtant, ſi bene iudico. Ibidem,& lib.7. κατὰ τόπους. Atque idem voluiſſe Galenũ patet, cùm ad expectorationem moliendam iubeat vt arteriaca conuenienti liquore diſſoluantur, & vel ad vlcus trachææ arteriæ inſtituat non modò gargariſmum, ſed etiam vt ſimilem materiam (nimirùm liquidam) æger ſupinus quàm diutiſsimè in ore teneat, ac omnes laryngis muſculos relaxet remittátque. Influit enim ſic, ait, ſenſim & paulatim de medicamento aliquid ſenſibilter & manifeſtè in ipſam arteriam: quippe, cùm & naturaliter ſe habet, ſcire licet potionis nonnihil huc percolari. Vnde colligas multò magis affecto pulmone conuenire liquida & ſimilem vtendi rationem, vt nõ minima pars medicamenti ad eum per trachæam perueniat, & quod in ventriculum deſcendit ad pulmones tandem ſua tenuitate & fluxili conſiſtentia aſcendens penetrare queat.

De

De lumborum dolore. Cap. VIII.

LVmborum dolori ex ardore hîc maximè infeſto prouidimus in explicanda curatione intemperiei calidæ ſimplicis varias partes afficiẽtis, & febris ardentis.

De Cephalalgia. Cap. IX.

CEphalalgia paucis febricitantibus non adeſt. Hic verò dolor aut tempora aut frontem, vel omnino priorem capitis regionem afficit. Qui enim vel in occipitio vel circa aures aut verticem figitur, aut profundior in oculorum veluti radicibus ſentitur, etiam ſi cum febre ſuſcitetur & excandeſcat, ſymptoma febris nõ eſt, ſed peculiarem cauſam habet in capite; vt rectè annotauit Fernelius. Nam ſæpius iis locis vetus dolor quaſi ſopitus & conquieſcens humore irritato exaſperatur cum febre. Porrò cephalalgiæ quæ febris ratione accidit cauſa eſt, largior euaporatio cerebrum replens atque meninges, ipſúmque pericranium copia velut diſrumpens, aut calore & acrimonia pũgens ac dilacerans. Eiuſmodi verò hali- De febr. cap. vlt. Cauſa.

tus & fumos ſubiectæ partes in quibus exæſtuans humor continetur per medias quaſq; regiones emittũt: ſed potiſsimùm venæ & arteriæ, quarum inſignes rami ad capitis interiora exterioráque peruenientes ſua continuitate & manifeſtis meatibus plurimum vaporem ſuppeditant, qui ſua leuitate ſurſum contendere ſolet. Aluus quoque adſtrictior cephalalgiam inducit, trãſmiſsis ad caput tetris vaporib9. Idem facit ventriculus humore noxio, vt bilioſo, refertus.

Cephalalgiæ cohibendæ mitigandæque ratio.

Ad huius ſymptomatis ſedationẽ, qualiſcunque ſit cauſa, vitetur omnis vehemens & frequentior capitis agitatio, indéque immodica oris collutio, necnon planctus, colloquium, clamor & vehemens animi motus. Lux etiam nocet & aër calidior, ſtrepitus omnis, canum latratus & inſignis quilibet odor. Aluum liberam & nitidiorem ventriculum efficiemus clyſmatis, vomitoriis, aut aliis purgantibus anteà propoſitis. Aliæ verò cephalagiæ cauſæ dum ipſa febris curatur amoueri debẽt: atque interim capiti proſpiciendum eſt, vt ipſum corroboretur & ab eo repellantur vapores. Id commodè fiet admotis refrigerantibus & humectãtibus, qualia etiam febris requirit, nõ item

veris

veris ἀποκρουστικοῖς. Adſtringentia enim capitis cutem alioqui ſatis denſam dum compactiorem efficiunt, fumos circa eam magis inpingunt ac detinent, vnde multò grauior fit cruciatus. Neque verò humidorum & frigidorum vſus eadem ratione ſuſpectus eſſe debet, quòd talia ſint indurantia authore Gal. Quippe æſtuāti parti occurrentia mox tepeſcunt, & in omnibus qualitatibus medi āquandā naturā ſortiuntur, itáque ſunt verè ἀνώδυνα quorum naturam idem etiam explicuit. Ad hanc rem igitur parabimus vnctiones, irrigationes ſeu embrochas, & frontala vulgò dicta. Si vehementiſsimus eſt capitis dolor ex inſigni ardore, vt iis qui aiunt ſe velut flammam per oculos, nares & os emittere, conuenient quæ aduerſus capitis ardorem præſcripſimus: omnium verò maximè populeum vnguentum fronti & temporibus illinendum. Quòd ſi eſt mitior, ſufficiet inungere ſequentibus:

Lib.5. ſimpliciū cap. 10.

Eodē lib. cap.19.

℞ olei viol. & nenuph. an ℥ ij. olei de ſemine cucurbitæ recentis ℥ j. ß. ſucci lactucæ & ſolani an. ℥ j. ceræ albæ qu. ſuff. fiat vnguentum.

Vnguentum.

Si placet irrigatio vel illitus ex liquidis, ab vnguēto modò præſcripto cerā detra-

he & vtere. Dolorẽ efficaciùs mitigabit, ſi lac mulieris quæ puellã pepererit recèns mulctũ cęteris adiũgas ad ℥ j. vel ij. Addi etiã poteſt aceti parũ, quò penetrabilius ſit remediũ: eius quippe adſtrictio & ſiccitas aliorum humiditate ſatis retũdetur, manente in compoſito partium tenuitate. Prædicto liquore, ſi velis, madeat pannus lineus, qui quadruplicatus ſit, quatuor digitos tranſuerſos latus & adeò longus, vt frõtem & tempora cingat: expreſſus admoueatur, & ſiccescens alteri ſimiliter parato cedat. Fiunt etiam frontalia ſicca minùs certè conuenientia (meo quidem iudicio) cùm vehementis doloris cauſa eſt (vti plerũque ſolet) acris ſicciórque materia. Aliàs concedi poſſunt irrorata ſubinde conuenienti liquore, vti fieri conſueuit.

Sacculus fronti admouẽdus. ℞ florum violæ & nymphææ añ ℥ ij. florum chamæmeli, meliloti an ℥ j. ß. ſeminũ acetoſæ, portulacæ & lactucæ an. ʒ j. s. papaueris albi & pſyllij an ℈ ij. ſchœnanth. & roſarum rubrarum an ʒß. fiat puluis, qui includatur ſacculo ſericeo conuenientis magnitudinis: interpungatur ſimili filo, vt artis eſt. Conſperſus altera ex parte qua applicari debet aquis lactucæ, portulacæ, oxalidis, violæ, nymphææ

phææ, ſolani aut alterius refrigerandi vi præditæ admoueatur fronti ac temporibus, & multùm comprimatur: nam vel ſola compreſsio dolorẽ minuit.

Quando minùs calidus fuerit vapor, ſed copioſus & craſſus, vt in quotidianis & quartanis febribus, ꝓderit miſcere digerẽtia repellentibus: tandem verò ſolis digerẽtibus res agetur, quando infixus permanet dolor, neque capiti materiã identidem ſuppeditant aliæ partes. Digerentia olea ſunt calefaciẽtia omnia, quæ aduerſus horrorem febris quartanæ propoſuimus. Vnguentum leuiter reſoluens & relaxans in officinis reperitur, quod reſumptiuum appellant. Eo fortiùs diſcutiet de althæa, martiatum, aragon & Agrippæ, quatuor vnguenta calida Chirurgis vocata: ſed talia ſordent & tetro odore diſplicẽt naribus adeò vicina. Præſtat vti liquoribus, oleis inquàm & aquis ſtillatitiis, vel decoctis in modũ frontalis: Digerentia.

℞ oleorũ chamæmelini, anethini & ſãbucini (quod requietis oleum vulgus noſtrum vocat) an. ℥ ij. aqu. betonicæ, maioranę & ſaluię an. quart. ß. vel, quod pręſtantiùs eſt, decoctionis earundem herbarum ℥ iiij. miſce: agitentur, & pannus eo liquore imbutus applicetur. Si ma- Frontale liquidum.

uis frontale ſiccum, deſcribes ſequenti modo:

Frontale ſiccum.

℞ foliorum maioranæ, ſaluiæ, meliſſæ & betonicæ ſiccorum an. ℥ ij. calami aromat. cyperi & galangæ tenuioris an. ℥ j. nucis moſchatæ & macis an. ℥ ß. ſchœnanthi & vtriuſque ſpicæ, granorum tinctorum & roſarum rubrarum an. ℥ ß. fiat puluis, de quo paretur frontale, vti prædictum eſt.

Ex eadẽ materia confici poteſt euaporatio naribus excipienda, vt etiam ex ſuperioribus, ad grauiorem capitis dolorem. Quando opus fuerit repellentibus ſimul & digerentibus, priorum & poſteriorum materia commiſceatur, vt mediũ fiat medicamentum, cuius exemplar dare ſuperuacaneum cenſeo.

Cucurbitulæ.

Cucurbitulæ cũ multa flamma omoplatis aut ceruicis radici appoſitæ non parum conferunt ad reuulſionem, qualiſcunque fuerit cauſa doloris: quod præter experimentum ratio ipſa docet. Nam dum pars tumet & attollitur, quidpiam ex partibus vicinis cedat oportet. Eadem ratione proſunt extremarũ partium frictiones, ligaturæ dolorificæ & lotiones: de quibus in vigiliis & delirio etiã dicemus.

De Vi-

De Vigiliis. Cap. X.

Vigiliæ pleriſque febricitantibus ſunt moleſtæ. Accidunt verò ab æſtu immodico vel oppreſſione, vel dolore capitis, vel alia iactationis & inquietudinis cauſa. Eaſdem inuehit ſitis,& quæcunque infeſta ſunt ægrotantibus.Nonnunquam ſola cerebri irritatio aut ſiccitas, & calor immodicus ſpiritus ſupramodùm attenuãs & variè diſpergens,vigiliarum cauſa eſt. Cauſæ.

Porrò ſomnum conciliamus refrigeratione aëris quem inſpirat æger,tenebris, alta quiete, vel ſilentio, vel lectione iucunda aut ſermone ad quem attentior animus conuertatur, cantu muſico vel aquæ lene fluentis aut guttatim ab alto in ſubiectam peluim illabentis murmure, aliíſque id genus quibus interim ſola mẽte vel vnico ſenſu occupato ſenſus communis facilè conſopitur. Idem præſtant admota refrigerantia, cùm ſpiritus è cerebro quaſi repelluntur aut torpidiores fiunt: atque ſi extremè refrigerent, pro ſomno veternũ grauémque ſoporem inducere conſueuerunt. Ὑπνωτικὰ verò propriè ſunt,authore Gal. quæ duntaxat humectant. Licet tamen in hoc affectu Cõciliandi ſomni ratio. In fine libri 1. de ſympt. cauſis.

valde refrigerãtia humectantibus permiſcere, quãdo ardẽtior eſt febris, quod feruidus calor ſtupefaciendi vim retundat & temperet. Syrupi conuenientes ſunt, de papauere, de portulaca & de cucurbita: quorum duo poſteriores parati non habentur in officinis. Eſt etiam compoſitio ad id efficaciſsima Diacodium, hoc eſt, de capitibus papaueris: & hac multò efficaciores illæ Philonium Romanum & Athanaſia, necnon Theriaca recens ante duos menſes parata: quæ veræ ſunt opiatæ, quia opium nobile narcoticum recipiunt. Verùm iis non temerè vtendũ, & admotis potiùs quàm aſſumptis, quãdo grauis dolor partem aliquam diuexat, & iuges vigiliæ admodùm diſplicent viréſque eneruant. Nam ventriculo maximè officiunt, quandiu vis opij vegetior manet. In clyſteribus non adeò nocent, & ſomnum ſatis conciliant. Doſis eſt à ℈ j. ad ʒ j. cum decoctione alicuius ex ſupradictis clyſteribus, vel aliis quæ ea diſſoluuntur exceptis purgantibus. Diacodium verò & ſyrupum de papauere, ſi quis me conſulat, ſuadeo vt ore duntaxat contineat, non deglutiat, præſertim quãdo imbecillior eſt ventriculus. Nam cùm ſit ſatis cerebrum refrigerare: id verò pro-
ximè

ximè faciant ore detenta, ſomnus eo modo nulla alicuius partis offenſione conciliari poteſt omnium commodiſsimè. Singulis vicibus aſſumatur cochlear vnum ſyrupi, vel diacodij dimidium: & cùm ampliùs retineri nequit, expuatur & recens ſubſtituatur, donec ſomnus obrepat: per quem ſi poſtremo loco aſſumptũ deuoretur, non multùm intererit. Nam ſequenti diluculo emendabitur ventriculi noxa exhibito electario aromatici roſati, vel diarrhodon. Quibus æſtuat ventriculus & ſitis eſt inexhauſta non vereor potionem ὑπνωτικὴν concedere, quæ tribus illis incommodis egregiè medeatur:

♃ decoctionis lactucæ & portulacæ vehementer expreſſæ ℥ iiij. ſyr. de papauere ℥ ij, miſce; detur quinque ſaltem horis à cœna circa decimam vel vndecimam. Si vires ſunt alioqui imbecillæ, addito pul. diamarg. frig. ℈ j, vel ʒ ß. fiat potio clara & aromatizata. Potio ſomnifera.

Topica eadem hîc cõueniunt, quæ aduerſus capitis ardorem & dolorem vehementiſsimum ex calidiore cauſa: imprimis verò irrigatio ex oleis, violaceo, nenupharino, cucurbitæ & papaueris recentibus, cum ſuccis lactucæ, intybi, ſolani, vmbilici Veneris aut aizoi, addito lacte Topica.

muliebri ſine aceto, aut eo certè parciſsimo ad penetrationẽ: alioqui enim vi ſua exiccandi vigilias inducit. Nonnulli iubent inungi manuum volas & pedũ plãtas vnguento populneo. Mihi autem ſatius videtur qua parte inſigniora vaſa magis patent, vtputa in emiſſariis partium principum (emunctoria vocant) eiuſmodi vnctiones fieri. Sic enim præcipua viſcera (de quibus eſt cerebrum) vtiliſsimè ſimul & commodiſsimè refrigerantur. Non tamen improbarim manuum & pedum lotionem ex ſequenti decocto: vel pannorum eodem madentium applicationem, remedium ſanè facilius, quóque nihil aut parum commoueatur æger.

Decoctio pro manuum pedúmque totu.

℞ foliorum lactucæ, portulacæ, ſolani, lenticulæ aquæ, vmbilici Veneris & aizoi maioris vel minoris an. M.ij. foliorũ ſalicis & vitis an. M.j. carnis cucurbitæ interioris cum ſeminibus ℔ ß. foliorum nymphæę & violarum an. P.ij. fiat decoctio in aqua pluuia aut fontana. Cape de col. multùm expreſſa ℔.iij. aceti vini albi ſextam partem. Hac tepida madentibus pannis & leuiter expreſsis inuoluantur manus & pedes. Iiſdem refrigerare pudenda iuuat, vt ex iis quæ in cauſo docuimus patet.

Non eſt negligenda ſpongia quã Practici frigidam parare docent ad ſomnum conciliandum: nos verò ita conficiendam ſuademus.

Decoquendis modò propoſitis adde foliorum hyoſcyami, mandragoræ & papaueris albi an. M. j. Cape de col. ℔j. ſucci lactucæ ℥ iiij. opij hoc diſſoluti ʒj. miſce: hoc decocto maceratã bis térve ſpõgiam in vmbra ſiccato. Cùm vti voles, rurſum madefacito ac tepidam admoueto naribus. Si hac arte cõciliatus diuturnior ſomnus diſplicet, naribus prętẽdatur ſpongia altera macerata decoctione ſerpylli, maioranæ, apij & ſeminis fœniculi cum aceto. Spongia frigida.

De paraphrenitide. Cap. X I.

Vigiliæ diuturnæ παραφροσύνην ſæpè etiam inuehſit, & in febribus παραφρενῖτιν accelerãt, quam vera quoque phrenitis non rarò cõſequitur. Ac de hac quidem, quòd peculiaris ſit morbus non ſymptoma, licet à ſymptomate ſortiatur appellationem, in tumoribus pręter naturam tractabimus. Παραφροσύνη verò generis nomen obtinẽs in ſuis ſpeciebus vbi occur-

Cauſa. rete, xplicabitur. Paraphrenitis omnis ex conſenſu eſt, cerebro ſupramodùm calefacto & exiccato ab acriore halitu quē ſubiectæ partes emittunt in totius morbi & acceſsionū vigore, ac tùm potiſsimùm cùm ſunt omnia peſsima. Delirium ferè præcedūt vrinæ ſolito puriores & aquo-

Signa. ſiores: præſentitur verò imminēs vel importuna lòquacitate, vel immodeſtiore geſtu, vel quauis effrænata laborātis impudentia. Maioris terroris eſt quàm periculi: cùm ſæpiſsimè nullo vitæ diſcrimine accidat, & præterito morbi aut acceſſionis vigore conquieſcat.

Iiſdē remediis anteuertitur, quibus vigilię ſedantur & cephalalgia, nimirùm à capite repellentibus, qualia vel mox ab initio vſurpare non alienum fuerit. Pro-

Paraphrenitidi quib. obſiſtendū remediis. cedente verò affectu debent admoueri capiti raſo, vti fieri etiam ſolet, animalcula recèns mactata, quæ ſuo calore tepido cerebri æſtum contemperent, & vapores diſſoluendo abſumant: de quibus nos ſatis in febris ardentis curatione diximus. Ex eodem capite repetendum eſt quod paraphrenitidem anteuertere poſſe diximus odoramentum. Ad idem proſunt frictiones manuum & pedū, quòd à capite vapores auertant: multóque ma-

gis

gis dolorem inferentes ligaturæ, quas etiã coacti aggredimur, quando in furorem vergit delirium. Cucurbitulæ ſi admoueri queant omoplatis, vt ad capitis dolorem, maximè conferent. Declinãte vel ceſſante iam paraphrenitide ſi cephalalgia ſuperſit, vti ferè conſueuit, admoueatur frontale ſiccum priore loco deſcriptum: ſin minùs, liquidũ alterum vel ſiccum etiam, quo fumi in cerebro fortè oberrantes diſcutiantur.

De Sopore. Cap. X I I.

SOpor vigiliis cõtrarius affectus non rarò cephalalgiæ, vigiliarũ & paraphrenitidis ineptam medicationem ſequitur: nempe quando nimiùm refrigerãtia fuerunt vſurpata, quibus cerebrum velut ſtupefactum in expromendis ſuis ſenſibus officium facere non poteſt. Idem aliàs ſponte accidit, vaporibus etiam acribus in cerebro aliqua ex parte concretis. Nam cùm feruet humor, quicquid tenuius eſt diſcutitur remanẽte craſſo, à quo cerebrum deinceps grauatur atque ſopitur. Eam ob rem vinũ præſcribitur in declinatione phrenitidis veræ, quæ tamen ab initio affectus Cauſæ.

eſt longè calidiſsimus. Præterea febres nonnullæ ſoporem inferunt: vt quando ſubeſt multa pituita in viſceribus, quæ à febrili calore in ea excitato fuſa cerebrũ ingenti frigidorum vaporum copia replet: vnde primùm ſtupor, deinde vaporibus in humorem frigidiorem conuerſis, à quo cerebrum irroratur & imbuitur, ἀναισθησία prouenit. Id verò patiuntur alij per febres intermittentes quotidianas vocatas, aut duplices tertianas & tertianas ſpurias: alij per continuas quotidianas vel quartanas febres, atque etiam per intermittentes. Sopor contingit aliàs initio acceſsionis, cùm humores primùm incaleſcunt & ſuis vaporibus cerebrũ grauant, quos aliquantò pòſt excipiens igneus calor ſuccẽdit. Aliàs paroxyſmi finis expectatur, vt quibus febrilis calor tota acceſsione remiſsior eſt: ideóque vapores ſuſcitare, non item abſumere valet. Hi verò collecti tandem declinante iam febre quæ labore ac vigiliis ægrotãtẽ priùs affecerit, profundiorem ſomnum inducunt. His ex proportione reſpondet quod in febribus continuis accidit, dum ſcilicet in nonnullis ſopor ſuboritur ab initio, qui intra paucos dies vel etiam horas fiat: in aliis quibus febris eſt valdè

lenta

lenta & mollis, ſub finem, videlicet præterito iam ſtatu. Eſt verò aliàs κάρος vel lethargus, aliàs multiplex coma.

Porrò excitari debent quicunque præter naturam dormiunt, quòd verenda ſit natiui caloris extinctio. Dum enim cerebrũ cordi ſuperpoſitum immodicè humectatum friget: infernarum partium calorem obtundit primùm & hebetat, deinde obruit etiam & extinguit. Excitantur verò in aëre calefacto & lucidiſsimo corporis agitatione violenta, frictione aſpera cum ſcabro aſperioréque ſale, aut nouis linteis. Ad hæc ligaturis maximè dolorificis, pilorum auulſione, clangore aut alioqui alta voce & ſtrepitu, canum latratu, ſuum grunnitu vehementi, fœtidis odoramentis & aliis quæ admodùm ingrata eſſe ſoleãt. Clyſteres ualdè acres in graui ſopore præſcribi debẽt, qualis eſt ſequẽs: Sopor quibus remediis diſcutiatur.

℞ maioranæ vtriuſque, pulegij, origani & calamenti an. M. ij. caricarum pinguium paria xij. ſeminũ apij, petroſelini & carui an. ℨ j. florum ſtœchados, roriſmar. & anethi an. P. j. florum centaurij minoris ℥ ß. fiat decoctio. Cape de col. ℔ j. benedictæ ℨ vj. indi maioris ℥ ß. trochiſcorum alandahal ℈ j. olei rutacei. ℥ iij. ſalis gemmei ℨ j. fiat clyſter. Iniicia- Enema.

tur prima quaque hora. Reiecto clyſtere, ſi hora conueniẽs eſt, detur ſequẽs potio:

Potio. ℞ indi maioris ℥ iij. hieræ diacolocynthid. ℥ j. diſſoluantur decoctione ſerpylli & maioranæ. Ad idem facient pilullæ cocciæ vel aureæ, vel fœtidæ maiores & aliæ quæ habent colocynthidem, diſſolutæ modo prædicto. Nam ſopiti neſciunt integras deuorare: de amarore verò haud conquerentur, vt quibus non ſit ſenſus integer, quíque omnia circa ſe fieri patiantur. Galenus thymum, pulegium, origanum & ſimilia calefaciendi tenuandíque vi prædita in aceto coquit, & naribus ſic affectorum admouet, quò vapor ad cerebrum ſublatus craſsitudinẽ vaporis vel humoris diſſecet: mox palatum valẽtibus & acribus medicamẽtis inungit. Talia ſunt Theriaca vetus, Mithridatium, Aurea Alexãdrina, & (quæ omnium valentiſsima eſt) cõfectio Anacardina. Ab his etiã ad ea tranſit quæ ſternutamẽta cient, & ſimiliũ facultatũ præſidia capiti imponit, adaucta ſemper eorum ad ipſum vſque ſinapi vhementia, ſi vitiũ diu perſeueret. Fieri poterit ſternutatorium in ſequentem modum:

Sternutatorium. ℞ piperis albi & nigri an. ℥ j. hellebori albi ℥ ß. euphorbij ℈ j. fiat puluis, de

quo

quo inſuffletur parum in nares. Hoc valenter ciebit ſternutamētum naribus valdè irritatis: ſin minùs, cerebrum ſaltem calefaciet & in eo contentam pituitam liquabit, ac pro ſua parte abſūmet. Capiti raſo vel tōſo proximè cutem inſpergetur ſequens puluis:

♃ galangę tenuis & zingiberis an ℥ ij. piperis albi nigri & longi, cubebarum, vtriuſque cardamomi, nucis moſchatæ & macis an. ℥ j. ß. ſpicæ nardi & celticæ, calami aromatici & cyperi, corticis citrij ſicci an. ℥ j. fiat puluis. Fortior erit, ſi addas pyrethri & caſtorei an. ℥ j. euphorbij ʒ ß. vel horum loco ſtercoris muris (noſtri muſcerdam vocant) ℥ ij. Puluis inſpergēdus capiti.

In affectu contumaciore ſinapiſmum vſurpabimus, ex pari ficuum & ſinapeos quantitate: vel, ſi valentiſsimo eſt opus, ex ſinapi ad caricas duplo. Ad φοινιγμὸν quoque .i. rubrificans medicamentum progredi licet, quò ſtrenuiſsimè ab imis altíſque ſedibus ad ſuperficiem capitis humor inuitari poſsit. Componetur verò ſatis efficax è ſequentibus: Sinapiſmus. Phœnigmus.

♃ radicis bryoniæ & ari an. ℥ j. thapſiæ (quæ à multis loco turbith perperàm vſurpatur) ʒ vj. panis porcini ℥ ß. foliorum lepidij, naſturtij & perſicariæ ma- Cataplaſma.

culatæ an.M.ij. ranunculi maioris & flãmulę an.M.j.Coquãturin vino antiquiſſimo,contundantur & cribrentur.Colato adde ſtercoris caprilli,colũbini & murini an.℥ j.ſinapeos ℥ ß. euphorbij ʒ ij. cum ſucco tithymalli & melle anacardino fiat cataplaſma,de quo applicetur raſo capiti.Si malis puluerem etiam cataplaſmate efficaciorem:

Puluis. ℞ pyrethri ℥ j. coſti ʒ vj. ſinap. ℥ ß. euphorbij ʒ ij. cantharidum ʒ j. fiat puluis. Hæc breui tempore ruborem inducũt:poſteà bullas excitant,quibus ſuccedit vlcus, ſi diutius inhæſerint. Veſicæ configuntur, humor exprimitur,& vlcus diu apertum conſeruatur, per quod humoris cerebrum grauantis aſsidua reuulſio fiat. Nonnulli ad eius conſumptionẽ iubent galeam ignitam proximè caput admoueri, adeò vt pilos adurat: quo remedij genere non eſt facile vti dexterè & ſine incommodo:atque ea ratione mihi diſplicet,nec minùs eò quòd tantæ oſtentationis opus vulgo etiam horrẽdum non multùm confert. Gal. poſtremo loco admouet capiti cucurbitulas & purum caſtoreum, quod nos imitandum ſuademus. His omnibus tentatis ſi æger non expergiſcatur & ad ſe redeat, verendum

rendũ ne ad poſtremam iudicii diẽ dormiturus ſit.

De Siti. Cap. XIII.

Sitis eos maximè diuexat, quibus circa ventriculum æſtus eſt maximus, aut quibus pulmones velut ignem euomunt: aliis nulla aut minimùm infeſta ſitis eſt. Definitur verò appetentia frigidi & humidi. Hanc propriè patitur ventriculus præ nimio ardore exuccus, aut imbutus ſalſo, amaro vel acri quopiam humore. Cauſæ.

Silentium inperetur ægrotanti & planctus interdicatur, ore clauſo per nares expiret, ſomno plurimùm indulgeat, ſiquidem poſsit neque aliud diſſuadeat quod ſiti grauius ſit. Porrò quam facit ariditas facilè reſtinguit potus adundè humectans: quæ verò à calido ſucco excitatur, magis indiget refrigeratione: & quanuis totus venter humore turgeat, nõ deſinit tamen, quinimò ſæpè vel ore madido grauis moleſtáque exiſtit. Optimum remedium eſt poſt vitioſæ materiæ expurgationem, acetoſi alicuius ſyrupi vſus ex aqua frigidiſsima. Si verò ſola eſt ſiccitas, apprimè conuenit ſyrupus de Sitis leuandæ ratio.

portulaca, multóq; magis de cucurbita in καύσου curatione deſcriptus. Quæ ex pulmonis incendio fit, ſitis mendoſa à nobis vocitatur, quòd per eam ventriculus (cuius os ſuperius ſitis & famis dignoſcendæ inſtrumentum eſt) nihil patiatur, ſed os maximè aridum ſpectetur ac veluti torrefactum à fuliginibus quæ aſsiduè illac erumpunt. Hac afflictis difficilis eſt ſermo propter trachææ interioris & laryngis inſolentem aſperitatem: neque eam ſedat potatio larga, ſed placat tantùm quandiu colluitur os, tametſi non minima eius quod bibitur portio in pulmones decrret: verùm id mox abſumitur & parùm iuuat. Præſtantius multò aptiúſque pulmonis ſupra modùm calentis remediũ eſt, frigidiſsimum aërem inſpirare, & aquã itidem frigidiſsimam ore continere, quæ ſubinde immutetur cùm primùm incaluit: atque id commune eſt vtrique ſitis occaſioni. Quippe vt ventriculo aut pulmone æſtuãtibus os ſimilem patitur affectionem per interioris tunicæ continuitatem: ſic ore humectato & refrigerato, ſubiectæ partes vtcunque recreãtur. Proinde nõ fuerit inutile, quę ad idem valeant ore perpetuò continere: ea nos attigimus in febris ardentis curatione.

Sitis mendoſa.

ne. Cerаſis acidulis ſaccharo conditis vulgus vtitur ad ſitim fallendam: ſed fruſtrà, niſi diligenter priùs eluantur, ad tollendam quam à ſaccharo contraxere dulcedinem. Conuenientiora ſunt eadem reſiccata, quibus pauperiores vti conſueuerunt. Saccharũ enim noſtrũ etſi ab eadem planta proueniat, ex qua ſuũ ſacchar decerpſere Græci, tamen ſitim potiùs facit quàm demulceat, vtpote fæculentum & terrenum ex annotinis arundinibus longiore tritura & coctione in magna quantitate pręparatum. Quod verò illi vſurpabant, antiquiſsimæ arundines ſponte fundebant ceu lacrymam, ſcilicet aqueam portionem optimè depuratam, quæ tandem rupto cortice manabat ſtatim concreſcens & indureſcens, ad inſtar gummi pellucidum. Itaque non immeritò illis fuit ἄδιψον, egregiè humectans & linguæ aſperitatem corrigens. Eius vicem hodie ſupplet arte paratum ſaccharũ aliis impropriè candum, nobis cryſtallinum vocatũ: quod omni ex parte natiuum & ſpontaneum ementiri videtur: ſed quantum ars à narura ſuperatur, tantùm hoc illi cedit bonitate & efficacia. Sitim etiam fallent cucurbita & lactucæ trũcus ſaccharo condita, ſi priùs Saccharum.

tamen diligenter abluãtur, diúque macerentur aqua frigidiſsima ſimplici vel roſacea. Pruna pertigonia aut prunidactyla, damaſcena vel imperialia vocata, perſica varii generis & his ſimilia concedantur, ita tamen vt nuclei ſoli quæ-que eos proximè attingit pulpa ore dũtaxat agitentur ſugantúrque. Cùm his omnibus tentatis potus appetentiæ non ſatisfit, poſt duas horas propinetur largior hauſtus omni ſtudio refrigeratus, vt quo nihil præſtantiùs ocyúsve ſitim reſtinguat.

De linguæ ariditate, nigredine, aſperitate ac fiſſuris. *Cap. XIIII.*

Lingua in febribus vtplurimùm arida ſpectatur & nigricãs, non rarò aſperrima, &, quando maxima eſt ſiccitas, non leuiter inciſa: quæ eadem ſymptomata patiuntur etiam labra, palatum & os vniuerſum, quando morbus eſt vehementior. Horũ omnium

Cauſæ. cauſa eſt, fuliginis copia totũ os, ſed præcipuè linguam mollem & laxã ſuis qualitatibus afficientis. Accidunt verò frequentiùs ore hiante dormientibus & reſupinis: atque ſi fuligo minùs copioſa minúſ-

núſque acris fuerit, ſiccitas ſola inducitur. Nigritia verò & aſperitas fiũt, adaucta illius quantitate, dum linguæ pertinaciùs adhæreſcit. Fiſſuræ eiuſdem acrimoniam teſtantur & ariditatem maximam, vt quæ poſsit mollioris ſecundũ naturam partis continuitatem diſſoluere. Itaque mirum non eſt, ſi delirium minẽtur, cùm ab eiuſmodi fumis laceſsitum cerebrum tandem id pati ſoleat.

Siccitas & aſperitas iis minuuntur, quæ valdè humectant & leniunt: ſed deligẽda eſt materia quæ ſapore & odore ingrata non ſit, cùm ore diu contineri debeat. Talis eſt ſyrupus violatus, iuiubinus, de portulaca vel de cucurbita, cremor hordei, ſaccharum cryſtallinum, ſuccus glycyrrhizæ, vel decoctio hordei mundati, radicis & ſeminis althææ, foliorũ portulacæ & lactucæ, carnis cucurbitæ, prunorũ dulciũ, myxorũ & zizyphorum (Barbari ſebeſten & iuiubas vocant) ſeminis lini & pſyllij, florum violæ & vtriuſque bugloſsi recentium &c. Huius decoctionis ſecundum artẽ factæ & multùm expreſſę, quò viſcidior euadat, ſumantur ℥ iiij. Adde ſacch. cryſtal. ʒ j. penid. ℥ ß. ſucci glycyrrh. ʒ ij. miſce, & inducetur eclegmatis forma.

Qua ope ea linguæ ſymptomata leniantur.

Eclegma.

tum Arabicum tum etiam tragacanthinum, & ichthyocolla, ſi eorum mucus diſſoluatur præſcripta decoctione, vel aqua roſarum ſtillatitia, & ad largiorem humectationē adiiciatur ſyrupi viol. tantillum. Porrò præcipiunt nonnulli, vtintereà dum hæc linguæ & totius oris vitia emendare ſtudemus, ab ore fumi repellantur, commanducatis vel ore contentis quibuſdam inſigniter refrigerantibus, aut paratis ex iiſdē gargariſmis: quod mihi valdè ſuſpectum eſt. Nam cùm prohibito fuliginum per os & nares egreſſu leuia eiuſmodi excrementa nec facilè tota nec aliqua etiam ex parte tutò ad cerebrum diuertātur, in pulmones & cor maximo certè incommodo repulſa remeant. Sic obſtructo camini externo orificio vel alioqui fuliginem repellente vento, cubiculum infeſtiſsimo fumo repletur. Equidem multò ſatius eſſe duco vniuerſum os grauioribus etiamnum quàm ſint ſupradicta vitiis laborare, vt à quibus nullum immineat vitæ periculum, quàm præcipua viſcera illis ſuis excrementis obrui vel certè infeſtari plurimùm. Neque verò negligenda ſunt foris admouenda olea vel vnguenta, quibus velut vſtum guttur humectari poſsit. Nam ex hoc vno totius

oris ſiccitas non minima ex parte dependet. Eiuſmodi olea fuerint, violaceum, liliaceum & nenupharinum, de ſemine cucurbitæ aut alterius ex refrigerantibus. Ad eadem valebit axungia gallinæ recēs, medulla oſsium porci, veruecis aut vituli, butyrum, œſypus & ſimilia: ſed omnia non modò non rancida vel antiqua aut ſalſa, ſed etiam recentiſsima lauari debēt diúque macerari decocto hordei, vel liquore alio humectante atque refrigerante. Linimentum ſequenti modo parabitur:

Linimentum. ℞ axungiæ gallinę, medullæ ſuis & butyri an ℥ j. œſypi ℥ ß. ol. violati & liliacei an q. ſ. fiat linimentum.

De lentore dentium, linguæ & palati. Cap. XV.

LEntor dentes, linguam & palatum veluti paſta aut glutine obducit, nonnunquam fauces & gulam cibi viam coanguſtans & deglutiendi difficultatem inuehens. Fit à craſſo vapore aut pituita è ventriculo in os redundante aut à cerebro decumbente, quando vi caloris craſſeſcit magis ac velut induratur. Excrementum hoc æ- *Cauſa.*

grotantes

grotantes maxima afficit moleſtia : nunquam tamē deprehenſum eſt, vt annotat Fernelius, hac ex cauſa fauces omnino præcludi, quod nonnulli metuunt. De febrib. cap. 19.

Hîc aliud præſtare nequimus præter frequentem abſterſionem, quam cochleari vel alio inſtrumento conuenienti aut aſperiore panno molimur. Vt autem diluatur & diſſoluatur quod pertinaciùs adhæreſcit, os ſæpè madeſcat colluatúrque vino bene diluto, vel pauco aceto & aqua hordei, móxque rurſus abſtergatur fricando, vti prædictum eſt. Qui verò lentor fauces occupat quò radula diſtringéns ve organum peruenire nequit, detrahetur frequenti gargariſmo in ſequentem modum parato: Lentoris deterſio.

℞ glycyrrh. recentis ʒ vj. iridis flor. ℥ ß. hord. integri P. j. beton. & vtriuſque adianti an. M. j. ſaluiæ. hyſſopi & maior. an. M. ß. caricarum pinguium paria 8. ſeminis aniſi ʒ ij. fiat. decoct. In ℔ 1. col. diſſolue ſyr. acetoſi ſimpl. ℥ iij. pro gargariſmate. Gargariſma.

Quòd ſi œſophagum lentor obduxerit, is cōmodiſsimè poteſt deuoratis bolis craſsioribus abradi : verùm qui hoc patiuntur ex febre, vix queunt etiam ipſa liquida bene deglutire. Eſt tamen adhiben-

dus conatus, vt quãtum fieri poterit affatim & plena gula ſequens potio abſorbeatur: ſic enim apprimens ſeſe omnibus gulæ lateribus & ἀθρόως deſcendens lentorem in ventriculum deturbabit.

Potio. ℞ decoct. hordei integri ℔ ß. ſyr. de granat. & acetoſi ſimp. an. quar. ß. miſce.

At ſi verearis ne ventriculus ab his nimium refrigeretur, vt quando febris eſt lenta, deuoret ægrotus ſi poſsit ſtatim à potione vel paulò poſt tab. j. diarrhodon, quæ viam magis ac magis patefaciet, lentorémque corradẽdo, non parũ proderit.

De guſtu deprauato. *Cap. XVI.*

INtellectus ſaporum obtunditur, cùm lingua vel palatum prædicto lentore velut incruſtata fuerint: hinc enim fit vt ſenſiterium ab obiectis ſaporibus non ſatis afficiatur. Deprauatur etiam illud ipſum & perperam de ſaporibus iudicat bilis perfuſione amareſcens, vel ſalſi acidi inſipidi, vel putris humoris ſubſtantia aut vapore inquinatum. Sub his autem vitiis integra nonnunquam manet appetitio, frequẽtiùs eadem aboletur, vel plurimùm elangueſcit. Porrò ſi manente ciborum appetentia ſola eſt guſtus offenſa, ſolius etiam lin-

guæ & palati vitium eſt, quod frequenti lotione & abſterſione modo antedicto emendabitur. Si verò etiam eſt ἀνορεξία, ventriculus & eo cōtenti humores accuſari debent. nam qui ventriculum eiúſque ſuperius os potiſsimùm imbuunt ſucci, per tunicæ interioris continuitatem ſaporem ſuum ori communicant palatúmque exurdant. Prouidendum igitur eſt ventriculo, vnde illius noxæ origo pendet, quod mox in altero affectu huic finitimo ac ferè comite minuendo præſtabimus.

De cibi faſtidio. Cap. XVII.

Cibi faſtidiū Græcis ἀποσιτία verius quàm ἀνορεξία eſt, nempe quando aliquis non modò non appetit (vt ſecundum naturam cuiuis accidit ſaturo & bene paſto) ſed etiam cibos auerſatur, & ab iis vel viſis vel olfactis quandoque etiam audita tantummodò eorum mentione, horret ventriculus, haud aliter quàm permultis à purgante medicamento fieri aſſolet. Neque verò eſt cuiuſuis rei faſtidium in ἀποσιτία, ſed melioris cibi: nam qui ea laborant plerunque inſalubres quoſuis maximè ap- Cauſæ

petunt, quemadmodum mulieres pica laborantes. Vtplurimùm tamen affectus is cum ἀνορεξίᾳ & ἀσιτίᾳ confunditur, propterea quòd inſalubrium appetentia falſa fallàxque eſt appetentia, & non paucis inediæ cauſa. Ergo ſimul tractari poſſunt & iiſdem remediis curari, vt ex eadem occaſione pendent: ſcilicet ventriculi perfuſione à quouis humore, qui aut ſatiat aut aliena qualitate afficiens vim appetendi conſopit & obruit, vel ſimilis qualitatis cibum aſſumere ſuadet, acrem videlicet, ſalſum, acidum, auſterum vel planè inſipidum. Nam qui dulcia appetunt, vt fructus benè maturos, ij ſola pituitæ dulcis exuperantia laborant. Appetentiam quoque vitiat intemperies calida, vt eandem auget frigida, quod præter experimentum ratio docet: proinde quibus maximè æſtuat ventriculus, nihil appetitur & ſitis eſt intentiſsima. Huic cauſæ multò faciliùs quàm cæteris medemur, cùm ſolis alterantibus egeat, frigidis inquàm & potiſsimùm acidis, à quib. ſuperius ventriculi orificium corrugetur: ſic enim ſenſus inanitionis, quæ eſt animalis appetentia, excitari conſueuit. Acidos verò tum ſyrupos tum cibos quæque cibis condiendis apta ſunt antehac non ſemel

Pellendi faſtidii ratio.

dicta-

dictauimus: ad idem etiam facit aquæ frigidiſsimæ potio cum tãtillo aceti. Quòd ſi bilis aut pituita in ventriculo redundãtes eiuſmodi faſtidium inducant, vti præ cæteris humoribus facere ſolent, ij primùm reiiciãtur vomitu aut alui deiectione, quod etiam ad totius morbi curationem ſpectat: deinde aſtringens aliquid concedatur ad ventriculi robur & commemoratam antè corrugationem, vti malum cotoneum acidulum, vel eiuſdem ſaporis granatum.

Emendata vtcunque ventriculi intemperie & laxitate, cibi offerãtur quales nõ prorſus diſpliceant ægrotanti: atque inter eos nõnihil concedatur aliorum quos maximè appetit. Nam, vt prudens monuit Hipp. paulò deterior, ſed ſuauior cibus & potus meliori quidem, ſed minùs ſuaui præferendus eſt. Eſt etiam Latini Hipp. vſurpandum conſilium: vbi quis faſtidio vrgetur, neque ſatis vires ſuſficiũt, apponẽdos eſſe varios cibos, vt paulum ex ſingulis deguſtando æger famem vitet. Alimenta verò ſint minimè pinguia vel oleoſa aut prædulcia, ne mox ſatietatem inducant aut nauſeam excitent: & acidis plurima ex parte condiantur, aceto roſaceo, omphacio, oxalidis vel grã-

Victus.

Aph. 38. ſect. 2.

Celſ. lib. 3. cap. 6.

natorum ſucco, necnon arantiorum limonum citrij atque ſimilium. Concedatur ὀξύπορον ex lactuca vel cichorio elixis, cum aceto & oleo parciſsimo: item cappares & oliuæ κολυμβάδες, &, ſi languidior febris eſt, ſalſamentorum quidpiam. Gelatina parari poteſt quæ multùm nutriat & appetentiam inuitet, ſi accipias iuris decocti extremitatũ capi vel gallinæ & duorũ pedum vituli aut quatuor hœdi vel plurium nefrendis, eique addas ſaccharum albiſsimum ad ægrotãtis guſtum, aceti vini albi quantum apertè ſentiatur, ſantali rubri ad inducendũ colorem ceraſeum q.ſ. clarificetur ex arte cum ouorum albuminibus. Reliqua nos coquorũ induſtriæ permittimus, qui varia condimentorum genera ex ſuprà dictis indicationibus conficiant abſque aromatis calidioribus zingib. caryophyllis, pipere, nuce moſchata & croco. Cinnamomi momentum, ſi placet vſurpetur, quòd in mouendis vrinis & ciẽdis ſudoribus etiam iuuare poſsit. Appetentiam inuitat mundities in cibis, vaſis & aliis omnibus quæ ægrotanti offeruntur: necnõ gratus odor & amicorum qui ad comedendum hortentur præſentia. Eadem retinetur, ſi per rariora interualla & ſemel

Gelatina.

parciùs

parciùs vt decet, cib⁹ offeratur: frequẽtior enim & copioſior faſtidium vel ſanis inducit, vt etiã eiuſdẽ cibi longior vſus. Nõ eſt abs re quod noſtri præcipiunt, clyſteres ex vrina pueri impubis ad mouẽdam appetentiam inſtituere, præſertim quãdo morbus iam inclinat, quo maximè tempore alendus æger eſt, vti reſumat vires: priùs enim in frugalitate maxima aut etiam inedia tutiùs continetur. Proſunt verò ij clyſteres, qua ratione inteſtina & conſecutione quadam ventriculum à pituitoſis & dulcibus excrementis eas partes ſatiantibus expurgare poſſunt.

℞ vini albi ℔ ß. vrinæ pueri impubis (acrior enim minimè requiritur) ℥ iiij. mellis deſpumati ℥ ij. miſce. iniiciatur multò ante cibum. Abſterget & pungẽdo vim expellentem ſolicitat, vnde mucus ab aluo reiicitur, qui hominem ſatiabat. Quidam oleum commune adiiciũt, quod inſtituto planè repugnat: nam, vt prædictũ eſt, ab oleoſis abſtinere oportet, quoniam implent laxioréſque partes efficiunt. Præſtantiùs multò fuerit agar. ℥ j. vel aliud ex φλεγμαφύγοις incoquere ſuperioribus, vt pituita maiore efficacia excernatur: id enim appetentiam magis excitare abundè ratio docet, confirmat Clyſter. appetẽtiã excitans.

experimentum.

Poſtremò cùm nulla arte queunt cibi eſſe grati & in morbi declinatione imbecillis viribus perſeuerat ἀποσιτία vel ἀνορεξία, præſcribi debent clyſteres nutrientes ex iis parandi quæ ore aſſumi conſueuerunt: vti decocto pulli, gallinæ, capi annotini, veruecis aut alterius carnis, cremore hordei, lacte & ſimilibus. His addantur ſaccharum & vitelli ouorum, ſequenti modo:

Clyſter nutriens. ℞ iuris eſculenti vel decoctionis hordei vel lactis caprini ℥ viij. ſacch. albiſs. quart. j. vitellos ouorum recentium N. ij. miſce: vinum adiicitur, quando febrem non reformidamus. Saccharum albiſsimum hîc conuenit potiùs quàm rubrum: hoc enim cùm ſit magis detergẽs, minus alit. Vitelli ouorum plures addi poſſunt, dummodò ne ineptam craſsitudinem acquirat iniicienda materies. Totius verò compoſitionis quãtitas parcior requiritur, ne ſi copioſior fuerit, inteſtina comprimendo laceſſens mox reiiciatur: niſi enim diutius retineatur, prodeſſe nequit. Attamen ſi paulò pòſt aluus ad excretionem cogatur, aliqua eius portione omiſſa reliquum diutius retineri poterit. Cæterùm nutriendi vim habent quæ per

anum

anum iniiciuntur, quòd inteſtina eandem cum ventriculo ſubſtantiam & coquendi vim (ſed multò imbecilliorem) ſortita cibos etiam vtcunque alterent, qui deinde per meſaraicas ad hepar trahãtur. Verum enimuerò quos non attigit & elaborauit ventriculus χυλώσεως præcipuũ inſtrumentum, perpetuò crudiores ij manent ac pituitoſioris ſanguinis materia ſunt. Neque enim poteſt altera cõcoctio prioris vitia corrigere, vti neque tertia ſecundæ: quamobrem frequentior talium clyſterum vſus pituita multa corpus infarcit, qualem mulieres quædam annoſæ, de formoſitate nimiùm ſolicitæ eorum abuſu copioſiſsimam coaceruant. Sic enim tumidiore vniuerſo corpore & cute ipſa magis intenta, ſplendidiore ſimul & candidiore, ſed magno ſuo malo, iuuenilem ætatem emẽtiuntur. Cæterùm ſunt permittendi clyſteres eiuſmodi naturis imbecillioribus quæ cibum omnẽ auerſantur, vt bis vel ter quotidie infundãtur horis cibatui dicatis: nam plerunque accidit, vt ventriculo pituita ſaturato inteſtina & corpus reliquum appetant, iniectíſque perfruantur. Id quò meliùs fiat, aluus ab excrementis vacua ſit, nempe præmiſſo clyſtere molliter detergente, vel

qualem ad mouendam appetentiam paulò antè deſcripſimus. Etenim ſi fæces cōtineant inteſtina, cibi iniecti ab iis corrumpētur & ad ſuperiores partes (in quibus ob mollitiē maior eſt alterandi vis & ex meſaraicarum frequētia prōptior ἀνάδοσις) ab excrementis occupatas non peruenient. Quòd ſi ventriculus quoque inanis fuerit vt aſsiduè vomentibus, cò magis ad ſuperiora naturali ſaltem appetitu laceſsita rapientur.

Lib.2. cap.50. Porrò ſolutis fbreibus ſi in virium recreatione perduret faſtidium, vt ait Paulus, inſtituēdæ ſunt exercitationes variæ, nimirùm ambulatio, geſtatio, equitatio, nauigatio, vociferatio & quæ exercitij vice eſt, vniuerſi corporis frictio. Adhæc loci mutatio imprimis cōuenit, vt in colles mōtéſve ſeſe conferat qui planiciem inhabitat & contrà: ſiquidem in aëre iandudum conſueto minùs viget appetentia: frigidior tamē ad hanc iuuandā perpetuò quærendus eſt, Hoc tempore iam tutiùs dantur oliuæ κολυμβάδες & cappares, ſalſamenta omnia, necnon aromata quibus excitari ſolet appetentia, quandoquidem febris nō adeſt: talia verò ad ſtomachi bonitatem faciuut eíque conferūt. Illud quoque in memoriam eſt reuocādum

dum, vt quibus cibis per ſanitatem quis maximè delectabatur, iiſdem perfruatur conualeſcens. Appetentiam denique excitat & retinet vſus vini abſinthitis vel aloës puriſsimæ, quibus ventriculi tunicis impactus fortè bilioſus humor abſtergatur, vel etiam pituitoſus ventriculum imbuens expellatur: hi enim potiſſimùm ἀνορεξίαν diuturniorem efficiunt. Aloës roſacea lotæ vſus præcedat: ex cuius ʒ j. fingantur pilulæ vij, vel viij. ſumatur vna aut altera diluendo per tres vel quatuor dies. ab his totidem dies bibatur ſingulis matutinis vinum abſinthites ad ℥ iiij, vel (quod efficacius fuerit) ſyrupi de abſinthio coclear vnum. Amarore quidem ingratiſsima hæc ſunt, ad roborandum verò ſtomachum & naturales eius facultates omnes excitandas præſtãtiſsima. Hactenus de cibi faſtidio, quod plerũque febrem antecedit, ſemper verò ſimul cum febre accedit, vt de primis illius ſymptomatis meritò iudicetur: ei verò nonnunquam ſuccedit contrarius planè affectus, de quo propterea ſequenti capite.

Catapotia.

De ingenti fame. *Cap. XVIII.*

Λιμὸς & βέλιμος moderatam appetẽtiam excedunt, & effrænatæ appetentiæ genere continẽtur. Sic enim diſtinguimus, vt ἶνις ἐνδείας, id eſt, penuriæ alimenti ſenſus manifeſtus abſolutè ὄρεξις, id eſt, appetentia vocitetur: ea verò intenſior & iam moleſta, λιμὸς, hoc eſt, fames dicatur, de qua Hipp. illud eſt: ὅκε λιμὸς, ού δεῖ πονέειν. Quæ autem maximæ imbecillitati cõiuncta ſyncopẽ aut certè λειποψυχίαν comitem habet, βέλιμος dici ſolet: præter quã eſt etiã canina appetẽtia ad hoc inſtitutum noſtrum minimè pertinẽs, cùm febribus nõ adeò frequenter ſuperueniat, vt rectè annotat Paulus. Cæterùm ex eo quod mihi obſeruare licuit non ſemel deprehendi & λιμὸν & βούλιμον febricitãtibus accidere, poſteaquàm morbus aliquãdiu perſeuerarit: et λιμὸν quidẽ pueris maximè, quib⁹ ineſt plurimum calidi innati. Huius enim ipſius ratione copioſo indigent alimento (alioqui eorum corpus valdè cõſumitur) miniméque inediam ferunt, præſertim qui inter ipſos ſunt viuidiores ac multo cibo aſſueti. Hęc fames cùm ſit naturalis, ſed intẽſior, copioſiore alimẽto eſt ſatiãda, ne maior corporis arefactio & colliquatio

[Margin notes: Effrænatæ appetẽtiæ genera varia. — Aph. 16. ſect. 2. — Lib. 2. cap. 52. — Hipp. aph. 13. & 14. ſect. 1.]

quatio

quatio fiat, à qua puer in retorridum μαρασμὸν incidat. Tunc verò conueniunt non tantùm humida liquidáve; vt aliis febricitãtibus, ſed etiam ſolida, ex quibus nutrimentũ firmius corporibus accedat. Sed de eiuſmodi affectu Medicos parum ſolicitos eſſe oportet, cùm ſi mulieres adſint, ei facilè lubentérque medeantur. Ad ſedandã famem puerilem quæ conueniant.

Ad βελιμίαν itaque accedo, quæ planè contra naturam eſt, & in cuius aſsignanda cauſa mihi cum Gal. prorſus non conuenit. Hic enim ſcribit βέλιμον ruinam eſſe facultatis ab externo frigore, definítque βέλιμον ſymptoma oris ventriculi, cùm ſimul penuria, imbecillitate & refrigeratione afficitur. Magis placet quod ait Trallianus, hoc mali genus fieri ab immoderato oris ventriculi calore cum imbecillitate. Non tamen ſolius ſtomachi calor eſt immodicus, ſed aliorum quoque viſcerum ac totius corporis: vnde laxitas fit & maxima diſsipatio cùm alterius ſubſtantiæ, tum vel maximè ſpirituum: hanc verò ſequitur extrema virium imbecillitas & ſyncope, vel λειποθυμία frequẽs. Gal. autem videtur lib. 1. de ſympt. cauſis appetẽtiæ caninæ id tribuiſſe, quod βελιμίᾳ omnino competit: ſcilicet fieri à maxima totius corporis inanitione, ſiue hæc calo-

Βελιμίας cauſa. Comm. in aph. 21. li. 2. & lib. 1. de ſympt. cauſis cap. 7. lib. 7. cap. 6. Cap. 7.

ris vim, ſiue retentricis facultatis imbecillitatem ſequatur. Ob id etiam diabeti qui ab inſigni renum calore ſolet excitari βούλιμον non minùs eleganter compares quàm appetitum caninum, vt idem Gal. alio loco facit: quippe in βουλίμῳ eſt maximũ effluuium atque diſsipatio quæ alimentum ſubinde aſſumere cogit: quod ipſum etiam oportet eſſe maximè tenuiũ partium, vt mox ſpiritus reſarciat. Nam vel pleno iuſculis vẽtriculo λειποθυμίαν ſentiunt ægri, poſtquam nimirùm prætenuis ſubſtantia in ſpiritus conuerſa paulò poſt abſumpta fuerit. Hinc patere arbitror, quænam ſint iſti ſymptomati remedio: nempe, vt Gal. etiam docet, odorem multum & iucundum ſpirantia: cuiuſmodi ſunt acetum, pulegium, mala, pira, & ſimiles fructus. His addit quæcunque nidore & bona conditura delectant: panem inſuper odorandum præbet & aſſumere cogit. Ad hæc enim ſingula excitantur, inquit & præterea ad ſuillam carnem aſſatam, (cuius odorem ſolum hîc nos probamus) & in vniuerſum ad omne quod multum alit, quòdque non ita magna mole multam vim complexũ affatim corroborat, vt vinum & oua ſorbilia: non item bulbi & cocbleæ, quæ tamen

Loc. affect. lib. 6. cap. 3.

Ingenti fami quæ ſint remedio.

Lib. 8. κατὰ τόπους cap. 4.

men ille in hoc rerum ſtatu præſcribit. Omnium potentiſsimè refocillat & ab exolutione lipothymiáve liberat panis vino diluto maceratus. Trallianus etiam vinum meracius exhibet, licet affectus cauſam præcalidã eſſe agnoſcat, de ſymptomate nimirum potiùs quàm de morbo ſolicitus. Hîc vſurpari debent quæ ad virium inſtaurationem dictauimus in febre hectica. Porrò interim dum hæc parantur vel offeruntur, excitandus eſt æger extremarum partium ligaturis & frictionibus, pilorũ vel auricularum vellicatione, maxillarum punctione & aliis modis quibus dolore facto hominem in vita retinere aut velut intermortuum ad vitam reuocare videmur. Sed quia de ſyncope iam nobis eſt agendum, quòd fortè ſupereſt de βουλίμου curatione in ea pertractabitur.

Lib.7. cap.6.

De Lipothymia & Syncope. Cap. XIX.

AEI ποθυμία (quæ via eſt ad ſyncopen) & abſoluta ſyncope febricitãtibus accidunt, nonnunquam ex repletione, vti mox explicabimus: aliàs ídque frequentiùs, ad inanitio-

Syncopes & lipothymiæ cauſæ.

nem ſequuntur: nempe ſi pręceſſerit inſignis aliqua euacuatio, vomitꝰ, alui fluxus, hęmorrhagia, ſudor, vel ea quę inſenſibili modo quodam fit tenuiſsimæ cuiuſque ſubſtantiæ ac ſpiritum diſsipatio. Reliquas tantorũ affectuum cauſas Medicus ab ægrotante ipſo vel aſsidentibus reſcire poterit. Vltimam verò aſſequetur cõiectura, ex cutis laxitate & raritate cum æſtus vehementia & ciborum parcitate.

Curatio. Omnibus porrò medebitur, conceſsis alimentis quæ tenui ſubſtantia prædita ſpiritus mox reficiant. In his præcipuum eſt vinum, quod etiam acutè febricitantibus cùm vrgent eiuſmodi ſymptomata conceditur, ſed ὀλιγόφορον potiùs quàm valdè generoſum. Datur & panis aſſus vino generoſo maceratus & plenè ſaturatus cum permulto ſaccharo & pauco cinnamomo. Oua ſorbilia plurimùm ac citò nutriunt. Idem præſtant pullorum gallinaceorum teſtes, gallinæ aut capi iuuenis decoctum expreſſum, aut pulpæ ipſius contuſæ colatus ſuccus, & alia quæ paulò antè recenſuimus. Atque his ſubinde exhibitis ægrotantes alere cogimur veluti neglecta febre, donec inanitioni planè occurſum fuerit, quæ frequẽs animi deliquium inferebat. Ad idem faciunt

ciunt odoramenta ex rebus cuique iucũdis,& panis calẽtis vapor,quo aiunt Democritum cùm in extrema ſenectute cibi nihil aſſumeret,iam auolantem animã per aliquot dies fouiſſe & retinuiſſe. Facilior eſt alterius ſyncopes occaſionis, id eſt,repletionis curatio:tametſi Gal. eam difficiliorem multò reddat,dum purgare non audet. Sed an bene hac de re ſentiat, in ſyncopalis febris curatione,quã iamiam ipſius tantùm ſymptomatis ratione aggredimur,fiet manifeſtiſsimum.

Diog. Laert. lib. 9.

Lib. 11. Meth. & Lib. 1. ad Glauc.

Duplicem eſſe ſyncopalem febrẽ anteà monuimus,& vtriuſque naturam ibidem explicuimus. Porrò humoroſę curationẽ difficillimam eſſe noſtri prædicant ex eo quòd purgatio neceſſaria videatur,ne materiæ ſuccumbat virtus,quę ab ea interim obruitur. Atqui leuius medicamentum ſpernit humor craſſus & copioſus:fortius verò materiã exagitans ſyncopen adauget. Quid enim cõmota ea nõ faciet,cùm planè quieſcẽs inducat ſyncopẽ,inquiũt? Phlebotomiam verò minimè competere omnibus in confeſſo eſt. Nam & vires magis debilitat, & crudos humores crudiores efficit. Nec minor difficultas in cibando illis occurrit. Nam ſi multum cõcedas alimentum,cruditas augetur,&niſi

Syncopalis duplex

Syncopalis humoroſæ febris curatio.

frequẽter exhibeas, labaſcunt vires, túmque præſertim, cùm pituita ſubeſt non tantùm cruda, ſed etiã praua & nulla ex parte nutriẽs. Alioqui enim tales ægri facillimè ieiunium ferunt, vti Gal. admonet, & faciliùs curantur: quia crudi humores ſatis nutriunt, & nutriendo abſumuntur, queadmodum in Parad. apertiſſimè docuimus. Qualis verò ſubſit cruditas, cutis color indicabit. Prauã enim denotat plumbeus, croceus aut viridis color: duntaxat verò crudũ eſſe humorem pallor ipſe teſtatur. Vtrique cõmunis eſt præcordiorũ inflatio, vt & totius corporis tumor quaſi λευκοφλεγματίᾳ laborãtiũ. Pulſus minores ſunt quàm pro caloris ratione, obſcuri & inæquales.

Cõm. 1. in lib. Hipp. de victu rat. in acut. Dec. 1. par. 2.

Galenus curat eos qui febricitare incipiunt cũ ſyncope ex magna imbecillitate in ventriculo imbecillo, non φλεϐοτομίᾳ aut purgatione, quòd alioqui animo deficientes talia ferre nequeant, vt ille ait (tametſi vacuationẽ his magis conuenire quàm adiectionẽ fateatur) nec alia euacuatione, præterquàm frictione ſtatim ab initio morbi inſtituenda. Eã verò faciendam ſuadet in domo lucida & aëre tẽperatiſsimo linteis aſperis, & incipiendũ à cruribus ſupernè deorſum, mox ſimiliter fricanda

Lib. 12. Meth. cap. 3.

Curatio ex Gal.

fricanda brachia: & cùm artus iam ſatis incaluerint, ne laſsitudo vlceroſa ſequatur, vtendum oleo quopiam relaxante & diſcutiente: poſtremò ſpinam dorſi fricandã eodémque modo inungendã, atque id frequẽtiùs repetendũ & totos tres dies continuandũ exceptis horis quibus ſomno indulgendum eſt. Hunc verò breuem eſſe vult, ne materiæ diſcuſsio & reſolutio impediatur. Cæterùm ægrotanté triduũ alit ſola mulſa cui incoctus fuerit hyſſopus. Si aluus non ſponte deiicit, clyſterem iniicit: quòd ſi nimis fluat aluus, mulſam ampliùs decoquit: ſi laxior eſſe perſeuerat, pro ea dat cremorẽ ptiſſanæ, & cùm fluere non deſinit, halicã. Quòd ſi pulſus fiant languidiores, panem ex vino diluto: non tamen quibus ventriculus aut hepar phlegmone laborant, licet crudis humoribus refertum habeant corpus, quales deſperatos eſſe pronunciat Galenus. Vinum autem eſſe iubet minimè auſterum & craſſum, quia non facilè diſtribuatur, ſed alioqui generoſum: mauúltque hoc dilutum, quàm ſuapte natura aquoſum vinum propinare. Potum hyeme calefacit, æſtate frigidum concedit, modò nullum viſcus ſit imbecillum. Eodem modo aërem hyeme calidum, æſta- Ibidem.

te frigidiorem eſſe vult: nam planè frigidus ab eo improbatur, quia intrò magis compellẽs compriménſque humores obſtructiones facit vel adauget. Nocent balnea, quippe venendum eſt ne fuſi humores ruãt ad cor vel cerebrũ, quos ſatius eſt circa ventriculum & hepar concoqui. Antedictam curandi rationem ad ſeptimum vſque diem continuari poſſe docet Gal. ſi aliud nihil ſuperueniat. Quòd ſi cruda ſunt ita praua vt abſolutè coqui nequeant, deſperata ſalus eſt, vt idem admonet: præſertim verò ſi pulſus deprehendatur paruus, imbecillimus & inæqualis admodùm. Neq; verò aliud quàm quod prædictum eſt moliri patitur, præter aceti & oxymelitis vſum.

Hactenus ſyncopalis humoroſæ curationem ex Gal. tradidimus, quæ nobis nõ ex omni parte probatur. Nam quòd ad purgationem attinet, nihil obſtat quominùs ea fiat leuioribus medicamentis, quorum vſus non fuit apud veteres Græcos: rhabarbarum dico & ſyrupum roſatum laxatiuum, ſiliquæ AEgyptiæ florem, mannam, tamarindos & ſimilia. Illis duntaxat conſueta fuere valentiſsima, quæ humores valdè exagitant acrioréſque reddunt, corpus vni-

Noſtra leuiora medicaméta ignota Veteribus in ſyncopali febre vſurpari poſſunt.

vniuerſum conturbant, tormina & vẽtris roſionẽ excitant, vnde etiã frequentẽ λειποθυμίαν inuehũt: atq; ideò quoque prudẽter cauerũt, vt à purgãtibus abſtinerẽt grauidę mulieres à quarto mẽſe vſque ad ſeptimũ, & rectè monuerũt ſub Cane difficiles eſſe purgationes, neque in morbis acutioribus purgandum, niſi maxima neceſsitate, vti turgente materia. At noſtra medicamenta vix vllam eiuſmodi exceptionem patiuntur: quin tutò aſſumi poſſe videntur, quotieſcunque corpus purgationem expoſtulat, vt in propoſito nunc affectu, vel aſſentiente Gal. Neque verò leuius medicamentum reſpuendum eſt, quòd humores craſsi & copioſi ab eo fugari nequeant. Etenim licet priùs per vnum aut alterum diem incidere, attenuare & abſtergere frequenti vſu mulſæ vel ſyrupi acetoſi ſimpl. qui efficacior & iucũdior eſt. Bibetur verò is ex decoctione glycyrrhizæ, hordei integri & aniſi. Tertio tandem die propinatum medicamentum abundè vacuabit. Quin ab initio quoque aſſumptũ humoris craſsi minùs craſſas portiones abiicere poterit, cùm in viis communibus & amplis meatibus humor contineatur: vnde vel minimo vel nullo præcedente ap-

Hipp. ſect. 4. aph. 1. & 5. Itẽ ſect. 1. aph. 11.

paratu deturbari propelliq́ue ſolet. Ad hoc conueniet maximè rhabarbarum infuſum: quod leuiusculè aſtringit, proindéque ventriculo aliquantum roboris afferre poteſt, neque tamen humores magis impingit.

Potio ex infuſione rhabarbari. ℞ glycyrrh. recentis ℥ iij. foliorum cich. endiuiæ & acetoſæ an M. j. capill. Ven. M. i. ß. tamarind. electorum ℥. ij. s. aniſi ℥ ß. florum cord. & hordei integri an P. ß. fiat decoct. Cape de col. ℥ iiij. in qua infunde rhab. electi ℥ j. ß. Expreſſioni adde ſyr. roſ. lax. ℥ j. fiat potio, quæ detur mox ab initio.

Deinceps verò cũ ſatis præparatus fuerit humor, ſimilis potio exhibebitur, ſed cum integro rhab. ſiue, vt vocant, in ſubſtantia, vt ventriculum non leuiter conſtringendo inſigniùs roboret. Imprimis verò competit vomitus, quo redundantes in ventriculo humores crudi citiùs tutiúſque (ſi nihil aliud obſtet) educuntur.

Lib. 12. Meth. & 1. ad Gla. Cæterùm frictiones quas inſtituit Gal. tũc cõuenire poſſunt, quando totius corporis habitus cruditate refertus eſt, nõ vẽtriculus tantùm, aut vnum aliud ex viſceribus: in quibus longè maximam crudi humoris portionem per huiuſmodi affectum contineri ſupponimus. Hoc ſiquidem

quidem caſu à frictionibus non niſi fruſtrà inaniuntur cæteræ partes, aut in eas perperam allicitur crudus humor, quem in viſceribus coqui præſtaret. Porrò cùm ſomnus cruda maturet, hic ſanè vigiliis præſtat, quæ digerendo & ſpiritus abſumendo virium imbecillitatem manifeſtè adaugent: itaque ſomno & quieti plurimum eſt indulgendum. Domus etiam lucida nocet, tum quicquid aliud multam tenuioris ſubſtantiæ diſsipationem molitur. Hanc ipſam vt præoccupent vel ſiſtant Practici quidam, præcipiunt vt induat æger ſubuculam madentem roſacea cum ſantalis & camphora, eámque ſæpius in die permutet. Ego humentē nō approbo, ſed reſiccatam. Frictiones verò extremorum tunc duntaxat conuenire iidem rectè annotant, quando à ſyncope reuocandus eſt æger. Frequentior clyſterum vſus apprimè conuenit, vt ſemper aliquid à ventriculo reuellatur. Imperabūtur verò quales ad quartanam vel quotidianam febrem continuam, ſi cōtinua eſt ſyncopalis: aut, ſi maior eſt cruditas, qualiſcunque fuerit febris, quales ad intermittentem quotidianam præſcripſimus. Deniquè in aſſumendis ad nutritionem & citam ſpirituum inſtaurationem ea ſuf-

ſufficiunt, quæ à nobis in ſuperioribus proximè ſunt recenſita.

Eadem ferè curatio praua cruditate laborantibus conuenit: ſiquidem ſtatim purgare oportet & humorum corruptelæ
Lib. 9. Meth. cap. 10. (κακοχυμίαν Græci vocāt) mederi. Quod enim corruptum eſt, ait Gal. id alienum „ à natura eſt: quódque tale eſt, id ſeſe auferendum „ remouendúm ve dictat. Veruntamen „ ſi cum viribus imbecillis corruptela „ incidit, affectus remedium cum virtutis „ cuſtodia pugnat. Etenim affectus „ vacuandum eſſe præcipit, idque aut vena „ inciſa aut purgatione: horum verò neutrum „ ferunt imbecillæ vires. Quoniam „ igitur in omnibus eiuſmodi repugnantiis „ incerta eſt ſuccurrendi ratio, aliàs inſanabilis „ omnino affectus relinquitur, aliàs „ & longiore ſpatio & ægrè ſanari poterit, „ ſi æger magnum nactus ſit Medicum. Oportet „ nanque vbi indicationes ita ſibi „ aduerſantur & paulatim quod vitioſum „ eſt vacuare, & paulatim quod ſalubre eſt „ in illius vicem reponere. Hæc Galenus: qui mox ſubiungit eiuſmodi rationem curandi κακοχυμίαν à Medicis vocari ἐπίκρασιν. Attamen vera ἐπίκρασις tantùm
Επίκρασις. eſt ipſa humorum contemperatio: quam inſtituere decet, quoties praui humores

ſunt

ſunt educendi: ne ſcilicet quas partes peruadunt acrimonia & roſione ſua infeſtent. Quínam verò cibi & potus ſint ἐπικεραστικοὶ docuit Hipp. in torminibus. Lib. de vict. rat. in morb. acut. Tales ſunt oua ſorbilia, chondrus ſiue halica, ptiſſanæ ſiue hordei excorticati cremor, & triticea polenta, amylum, vinũ dulce & ſimilia: nec nõ ex ſyrupis noſtris violaceus. Quoniam verò humores praui nõ ſolùm infrænandi & coërcẽdi ſunt, verumetiam per interualla quædã & ſenſim fugandi melioribus in eorum locum ſubſtitutis εὐχύμων ciborum vſu, quibus & κακοχυμία omnino corrigatur & temperatior euadat ſanguinis maſſa: hinc factũ videtur, vt vniuerſa curatio ἐπίκρασις dicta fuerit.

Porrò maximè requiritur hæc ἐπίκρασις Febris ſyncopalis minutæ cauſa. in altera ſpecie febris ſyncopalis quæ minuta vocatur, quæq́ue à bile tenuiſsima prouenit os vẽtriculi ſuperius laceſſente, idque in corpore ferè ſqualido ſuccíſque tenuibus & facillimè exhalantib. prædito, maximè verò ſi prętereà fuerit vẽtriculus imbecillior atque ſenſu exquiſitiore præditus. In tali affectu cadauerosa illa facies principiò ſtatim apparet, naſus acutus, oculi caui, collapſa tempora &c. Nam ſiue Signa. multum excernant, ſiue nõ dormiãt, ſiue

triſtẽtur, ſiue nõ citò nutriantur, protinus eiuſmodi faciẽ induunt. Siquidẽ maxima fit in hiſce diſſolutio atq; diſsipatio, extenuatis ſupramodùm ſanguine & ſpiritu: quin etiã expultrice vi per vniuerſam corporis molem immoderatiùs concitata, id quod ex retrentricis imbecillitate vtplurimùm accidere conſueuit. Non ſanantur quibus præterèa iecur aut ventriculus phlegmone laborat viribus iam languentibus: quia nec aſsiduè nec niſi in remiſſionibus hos nutrire fas eſt, neque tamen eos ſeruare niſi nutriantur vnquam poſſis. Eſt autem nõ parum diuerſa syncopalis huius curatio à ſuperioris curatione: quippe in humoroſa frequenter & paulatim vacuandum eſt, quia multam ſimul vacuationem non perferunt ægri, & cibus datur ad præoccupandam ſyncopen duntaxat, non ad ſanandum. In minuta verò quæ cũ maiore virium exolutione eſt, cibus qui paulatim & ſubinde offertur, vel qui multus & affatim dũ vires adhuc valent, vt ab initio, (poſſunt enim tũc quod etiã liberiùs ſemel datum eſt alimentum ſuperare) curationem ipſam perficit: neque opus videtur aliqua inanitione: quin potiùs eam quę aſsiduè fit per inſenſilem tranſpiratum ſiſtere oportet

Curatio.

denſata

denſata cute, vti monet Gal. Hîc enim frigidum & aſtringentem aërem, nec non adſtringentia vnguēta commendat: cibos verò exhibet qui non promptè diffluant, non ὑδρομέλι, non ptiſſanæ cremorem, ſed panem, halicam & fructus auſteros qui difficillimè corrumpantur. Veruntamen breui reficere oportet quæ breui tēpore extenuantur corpora. Illud verò nō auſteris aut craſsis alimentis, ſed prætenuibus fit, qualia certè mox diffluunt. Nā eorum quæ affatim & velociter nutriunt celeres quoque ſunt excretiones. Itaque medium in his quendam modum tenendum ſuadeo, atque vtendum præcipuè ἐπικεραστικοῖς anteà recenſitis. Gal. etiam cerebrum ſuillum dare non veretur & poſt quartum diem, ſuccis qui febrem excitarant iam ad coctionem peruenientibus, carnea alimēta. Caput curationis eſt, vt confeſtim & confertim nutrias, ſed iis quæ humores paulò craſsiores mitioréſque efficiant: & vt in denſando nimiam exhalationē inhibeas. Hoc fiet vnctione ex oleo roſaceo, myrtino, melino, id eſt, cydoniorum, maſtichino, lentiſcino & ſimilibus. Tali affectu laborantis iuuenis hiſtoriam & curationem proponit Gal. in Meth. medendi. Eſt verò in omnibus

11. Meth.

Hip. aph. 7. lib. 2.

Idē aph. 18. ſect. 2.

Lib. 10. cap. 3.

eiuſmodi curationibus communiter obſeruandum, vt ſi æger ſyncope iam prehenſus fuerit, omnis ſolicitudo ad σύμπτωμα conuertatur. Ad id vnicè commẽdatur vinum fuluum, ſubauſterum & vetus: vt quando bilis os ventriculi mordens ſyncopen facit, etiam in febre ardente. Hoc enim iucundè aſſumitur, & multa affert commoda: nempe mox ſpiritus recreat & reficit, habitúmque vniuerſum calefacit, humoris vitium emendat, ſtomachum roborat & tum coctionem tum ἀνάδοσιν meliorem facit. Cùm verò nondum premit ſyncope, ſed in acceſsionis vel exacerbationis principio aut fine expectatur, vtriuſque curam habeat Medicus, & vt σύμπτωμα nõ accidat, & vt morbus paulatim diſcutiatur. Euadit enim lõgior, quoties ante acceſsionem cibare cogimur.

De ſingultu. Cap. XX.

SIngultus eſt veluti cõnulſorius ventriculi motus, qui ab expultrice naturali facultate citra voluntatem excitatur: quando ventriculum
Cauſæ. quippiam laceſsit, non tam in ipſius capacitate quàm in eius propria ſubſtantia im-

impactum atque reconditum. Eſt verò id mordicās humor frigidus vel calidus, aut corruptus cibus, vel intēperies nuda, eáq; calida aut etiā frigida, vti pueris frequētiſſimè accidit. Hipp. ad inanitionem & repletionem omnes illius cauſas retulit, vt & conulſionis: de qua re quid ſentiendū putē, aliquando dictaui. Galenus certè inanitionem ſingultus cauſam eſſe vix agnoſcit: eſſe verò nonnunquam à partis frigiditate (vt, verbi gratia, dum quis nimiùm feſtinans vix ſemimāſos ciborum bolos deglutit ſimúlq; frigidiorē aërem intromittit) curatio docet. Nēpe ſola vociferatio vel anhelitus cohibitio voluntaria, aut quæ alioqui cogitationi intentis vel timore percullis fit, eiuſmodi affectū facilè ſedat: quoniā ſpiritus in pulmonibus multùm agitatus vel cōpreſſus incaleſcit, & per tranſuerſum διάφραγμα ventriculū abundè calefacit. Idem præſtat aqua frigidior in faciē exinſperatò aſperſa: quæ etiam ſanguinem è naribus fluentem ſiſtit. Humorem verò qui ſingultum non rarò facit in tunicis ventriculi magna ex parte reconditum eſſe abundè cōfirmat violentus ille expellendi conatus (à quo etiā ſonus editur) multò ſanè vehementior alio qui ad vomendū eſt cō-

Aph. 39. lib. 6.

Comm. in aph. 13. lib. 6. & lib. 8. κατὰ τόπους cap. 3.

paratus: ea enim vomuntur quæ in ventriculi ampla cauitate ſunt. Porrò acres vel alioqui mordaces & deprauati humores in ventriculis febricitantiũ facilè proueniunt, qui vel ab initio, vel circa declinationẽ ſingultum pariunt: atque hîc factam inanitionem, illic repletionẽ noſtri cauſantur, etſi materia perpetuò ſubſit, quæ vel minima quantitate ſed prætenuis illud σύμπ]ωμα producat: veruntamen acriores facti ſunt humores procedente morbo, cùm per inanitionẽ aridius euaſit corpus. A vomitu ſtatim ceſſat is ſingult9, authore Gal. vtpote cùm tali agitatione reuulſus humor qui ventriculi tunicas imbuebat reiiciatur. Idẽ atque etiã vehemẽtiùs præſtat ſternutamentum, vti monet Hipp.

Ibidem.

Aph. 13. lib. 6.

Curatio.

Quòd ſi his non cedat, propinetur aliquod ex χολαφύγοις anteà deſcriptis: vel, ſi iam multùm inclinarit febris, deglutiatur ʒ j. pilullarum ex hiera picra ſimplici: cuius præcipua vis eſt, ventriculo impactos humores expurgare. Interim verò contẽperãdus eſt humor iis quę acrimoniam & rodendi vim obtundere poſsint: vti cremore ptiſſanæ, ſucco amygdalarũ dulcium quod lac vocant, & lacte caprino vel aſinino recèns mulcto, decocto

portu-

portulacæ aut lactucæ in iure pulli, & ſimilibus ἐπικεραςικοῖς: è quorum numero eſt etiam hîc, dum premit æſtus, conuenientiſsima emulſio quatuor ſem. frig. maiorum, quæ in hunc modũ parabitur.

Emulſio.

℞ quatuor ſem. frig. ma. (hoc eſt, cucurbitæ, cucumeris, melonis, & citrulli) decorticatorũ an. ℥ ß. Terãtur in mortario marmoreo, & ſenſim affundatur decoct. lactucæ vel portul. aut alius conueniens liquor ad ℔ ß. fiat expreſsio, & col. propinetur cum pauco ſacch. roſ. tabul.

Si ſola caliditas ſingultum efficiat, vt nonnunquam in æſtuante & valdè ſenſili ventriculo, erit conuenientiſsimũ quod deſcribit Galenus, in ſequẽtẽ ferè modũ:

Lib. 8. κτ̃ τόπους.

Trochiſci

℞ coſti, ſpicæ nardi, chryſobalanorũ (quibus ſubſtitue nucẽ myrepſicã) roſarum viridiũ & maſtiches an. ℈ iiij. aloës & aſari an. ℈ ij. opij ℈ j. excipiãtur muccagine pſyllij facta in decoct. lactucæ, & fingantur paſtilli ſeu τροχίσκοι. Doſis eſt obol. iij. (hoc eſt, ℈ j. ß. vel ʒ ß.) cum liquore qui affectui conueniat, vti decocto cich. aut, ſi quis malit integrũ deglutire ne aloës amarorem percipiat, formẽtur καταπότια cum ſyr. violato.

Hîc ſtupefaciens eſt opiũ: eius actionẽ

iuuant roſæ virides & pſyllij muccago ex decoct. lactucæ, quibus ventriculi etiam æſtus retunditur & ſenſim hebeteſcit. Ne verò id ſupra mediocritatem efficiant, reliqua ſuperadduntur apertè calefacientia & ventriculi robur conſeruantia. Idem præſtabunt philonium Romanum & theriaca recens, de quibus ſuprà dictum eſt. Cùm leuior eſt affectus, ſufficit potatio frigidior: id enim quotidie vſuuenit, vt ſingultus ab hauſtu vel minimo extinguatur. Quòd ad externa remedia attinet, qualiſcunque fuerit ſingultus cauſa, etſi nihil proſunt è regione ventriculi admota vnguenta vel emplaſtra, quòd à iecore eorum vis intercipiatur: iuuat tamen cucurbitula cũ multa flãma, vti præter frequens experimentũ ratio ipſa docet. Etenim partes ventriculo ſuperpoſitæ eo modo ſuſpenduntur, & quãtiſper vẽtriculum minùs cõprimunt, mitior eſt affectus: atq; ob id erecto corpore minùs quàm ſupino infeſtat ſingultus. Prodeſt etiam artubus vincula iniicere, & dolorificis frictionibus vti, vt ad cuiuſuis internæ moleſtiæ ſedationem.

Cucurbitula.

De

De nauſea & vomitu. Cap. XXI.

Nauſea ad ſingultum accedit, quatenus per hanc ventriculus etiam irritatus noxiam rem tentat expellere : ſed fruſtrà, ſi nauſea tãtùm fuerit. Eſt enim tunicis ita impactus humor vel internæ ſuperficiei ventriculi pertinaciùs ita adhæreſcens, vt varios conatus & impetus expultricis facultatis eludere poſsit. Hoc tamen differunt, quòd maior inferatur noxa ventriculo, dum ad ſingultum cogitur: minor nauſeam excitet. Adhæc per ſingultum ventriculus in ſe contractus & velut deſcendens gulam deorſum trahit: contrà in nauſea nimiùm laxatus quaſi inuertitur &ad ſuperiora vergit, œſophago tũc etiã laxiore facto. Ex his licet colligere, nauſeam ſub ſe continere ὑπτιασμὸν, id eſt, (ſi ita dicere liceat) ſupinitatem ſtomachi & ἀνατροπὴν, hoc eſt, ſubuerſionem, quæ nonnunquã ἀντὶ τῆς ἀνορεξίας ἢ ἀποσιτίας vſurpatur : quoniàm affectus hi ſe mutuò conſequi ſolent, quando præ nimia humectatione ventriculus ligamentorum inſtar laxatus cibum omnẽ faſtidit & leuiſsima de cauſa reſupinatus ſubuertitur. Nauſea verò peculiariter accidit ab eo quod vel pondere premit, vel Cauſa.

morſu laceſsit vel ingrata qualitate diſplicet. Atque aliàs irritus eſt ventriculi talia expellere nitentis conatus,& nauſea dicitur: aliàs ſequitur vomitio, id eſt,eorũ quæ ventriculi capacitate continebantur ſubita per οἰσοφάγον reiectio. Nempe cùm infeſtans cauſa vel in ore ventriculi vel circum tunicas eius tam vehemẽter impingitur ac hæret vt excuti ipſa minimè poſsit, ſi exinanitus eſt ventriculus, nauſeam ſolùm: ſin verò potu cibóve aut alia materia confertus eſt, vomitionem patitur. Attamẽ nauſea hanc ſemper antecedit,ſed nõnunquam adeò breui ſpatio vt non deprehendatur.Neque verum eſt quod nonnulli aiunt, nauſeam & vomitum ſola magnitudine differre: alioqui enim vomitus eſſet nauſea maxima, & nauſea minor vomitus,qui tamen reuera nullus eſt.Eſt quidem vtriuſque eadem cauſa(vnde etiam poteſt vtriuſque ſimul tractari curatio):effectus tamen non parum diuerſus. Adhæc nauſea omnis remediũ quo mox tollatur expoſtulat: vomitus verò non omnis ſemper vel quamprimùm ſiſtendus eſt : quinimò ſæpius venit prouocandus, vt quæ ventriculo & vniuerſo corpori infeſta ſunt reiiciãtur. Atq; id Natura (cuius miniſter & diligẽs obſer-

obſeruator Medicus eſſe debet) in febri bus tam continuis quàm inte rmittenti bus frequentiſsimè & ſalubriter aggreditur abſoluítque, tum per totius morbi vel paroxyſmorum initia, tum iiſdẽ iam declinantibus: vt dum criſim vel vniuerſam vel particularẽ inſtituit. Euomuntur autẽ frequentiùs pituitoſa bilioſis permixta, nõnunquam bilioſa ſyncera, eáque prorſus amara, crocei, æruginoſi aut porracei coloris: rarò cęrulei, liuidi aut nigri, quod etiam peſsimum iudicatur. Porrò ſiſti nõ debent eiuſmodi excretiones; in iis præſertim qui facilè vomunt: quin potiùs iuuandæ ſunt, niſi fortè nimiùm perſeuerãtes valdéque moleſtæ nullum cibationi locũ dent, aut ex ea irritatione vereamur ne vẽtriculo iam ſatis exonerato ab aliis partibus in eum confluant excrementa quæ alimẽta corrumpant & vomendi neceſsitatẽ continuent: cùm potiùs debeant ad inteſtina vergere, totius corporis ſentinam & cloacam. Nos itaque ſuperflui, intẽpeſtiui ac indecentis vomitus duntaxat curationem docebimus: ſed priùs tollẽda eſt quæ hunc præcedit nauſea.

Hæc febricitãtibus admodùm familiaris deprehenditur, maximè per initia: nõ paucis verò iam declinante morbo aut *Sedandæ nauſeæ ratio.*

cõualeſcentibus primùm accidit, recidiuámq; minatur, quia morbi reliquias ſupereſſe teſtatur. Adde quòd quò magis corpus impurum nutriri incipit,eò maior inde prouenit excrementorum cumulus. Si nauſeam facit ex nimia potatione ventriculi mollicies & inſignis mador refrigerationi ferè coniunctus(quod in febribus admodùm pituitoſis vel ſponte accidit,vt in aliis ex ægrotantis intemperantia,præſertim circa declinationẽ)facilè curabitur aſtringentium & modicè calefacientium vſu.Talia ſunt ex alimentis biſcoctus panis aniſo & ſaccharo conditus, caro auicularũ ex diuturna aſſatione aridior,oliuæ κολυμβάδες, cappares & fructꝰ auſteri,vt cydonia mala caryophyllis aut cinnamomo transfixa & melle condita, nuces ioglãdes ſimiliter præparatæ, necnon ſalſamenta & aromata, quibus quãtum præcipuus affectus,hoc eſt,febris patitur vtetur ægrotans. Ex medicamentis verò,pilullæ alephanginæ ſeu de aromatibus & ex hiera picra ſimpl. vel aloë tãtùm lota aqua roſarum : quæ minimùm purgant & ventriculum maximè corroborant. Fingantur pil.vij. vel viij.ex ℥ j. & duæ vel tres deglutiantur manè iiij. vel v.horis ante omnem cibum,extra paroxy-

Catapotia.

roxyſmum, vel quo tempore mitiſsima febris eſt. Ex electariis verò conueniunt diarrhodon & diacydonium aromaticũ, ſiue cum ſpeciebus: imprimis verò aromaticum roſ. ex d. Gabrielis. Sed omniũ efficaciſsimi pulueres ſunt, vt quibus nulla medicamenti ſpecies aridior exiſtat. Huic autẽ inſtituto apprimè conueniẽs puluis, madorem ſcilicet abſumens, laxitatem emendans & eneruatam appetentiam ſopitámque vim concoquẽdi ſuſcitans, parabitur in ſequentem modum:

℞ coriandri præp. id eſt, aceto ſæpius macerati ℥.j.ß.s.aniſi & fœniculi an.℥ j. carnis cydon.in vmbra ſiccatæ ℥ ß.cort. citri amota ſuperficie externa ſacch.cõditi ʒ iij.vel aliter exiccati ʒ ij.coralli rubri vſti & nouies loti roſacea, membranę ventriculi gallinarum internæ vino albo lotæ & reſiccatæ an.ʒ j.ß.galangæ craſſioris, caryophyll.& macis an.ʒ j.cinnamomi & maſtiches an. ʒ ß. margaritarũ tenuiſsimè tritarũ ℈ j.cruſtæ panis aſſæ ℥ j.ſacch.roſ.tabul.ad pondus omnium: fiat puluis, de quo capiat æger per horam ante ſingulos paſtus cochlear vnũ. Exiccari enim & calefieri, omníque alia ratione præparari debet ventriculus ante cibi aſſumptionem. Idem tamen etiam con- Puluis.

ueniet à paſtu, vt à cibis ſuſtentatus ventriculi os ſuperius proximè attingat, ipſúmque nimis laxum & molle corroboret. His aut ſimilibus ſæpius repetitis cedet nauſea, quam facit nimia ventriculi humiditas atque mollities. Eadem conferent, vbi ingrata qualitas humórve mordax aut premens ipſa copia talem affectũ concitarit, ſi modò priùs expurgetur vẽtriculus per ea quæ tunicis infixa vel internæ ſuperficiei adhærentia poſſunt abſtergere: qualia ſunt aloë non lota, agaricus trochiſc. & rhabarbarũ, ex quibus pilullas conficies in ſequentem modum:

Pillulæ. ℞ rhab. electi & agar. recèns troch. an. ℈ j. aloës puriſsimæ ʒ j. cum melle roſ. col. vel (ſi calorem non verearis) cum ſucco abſinthij formẽtur pil. vij. pro ʒ j. Vtatur vti præſcriptum eſt.

Die ſequenti bibatur cochlear vnum ſyr. de abſynthio, aut vini abſinthitis dimidius cyathus, niſi præcalida fuerit intẽperies. Cùm eo modo expurgatus fuerit ventriculus, tutus erit aſtringentium vſus: aliàs valdè pernicioſus. Omniũ verò efficaciſsimè dabitur ſyrupus de mentha ex triplicis mali granati & cydonij ſucco, roſis & foliis menthæ ſiccis galliáque moſchata aromatizatus. Neque

Syrupus.

verò

verò negligendus eſt vomitus, qui vtplurimùm nauſeam & vomitũ etiam curat. Eum quibus modis excitemus, iamdudũ monuimus. Verùm ſi lenta eſt pituita aut alius quiuis craſſus humor, incidatur is priùs & extenuetur, quàm vomitus aut purgatio inſtituatur. Id verò varij præſtabunt ſyrupi ad febres in quibus ſubeſt copia pituitæ ſuo loco deſcripti. Porrò in quauis nauſea cõferũt prolixior ſomnus & inedia: ſed maximè, quando redũdans pituita affectus cauſa exiſtit. Adhæc vini aut aceti & omniũ ſuaueolentiũ ac cuique iucũdiſsimorũ odoratus. Nam vt fœtida & ingrata vel ſanis mouẽt nauſeã, ita iis contraria nauſeæ remedia ſunt. Præparatio ante vomitũ.

Vomitus autem vt grauior eſt affectus, ita remedia efficaciora poſtulat: & primùm quæ à parte affecta, hoc eſt, ventriculo ad inteſtina vel habitũ corporis reuellant. Eiuſmodi ſunt clyſteres in ſuperioribus deſcripti: atque impræſentiarum ij deligendi pro natura humoris qui vomendo reiicitur & ipſa febris vehemẽtia. Nã ſi hæc remiſsior fuerit, acriores omnino vſurpabuntur, quales ad quotidianas febres imperauimus: frictiones & ligaturæ extremorũ itidem reuellũt. Pedes & manus in aquam ſolito calidiorem de- Vomitus cohibitio.

Lib.9. cap.10. mittit Aëtius: rectiùs(ni fallor) quàm noſtri manus frigidæ immergétes, vnde cõtraria planè reuulſioni repulſio fit. Cucurbitulæ verò è regione ventriculi admotæ velut ſuſpendunt & mox inhibēt vomitionis impetũ. At verò ſi, dum hæc fiunt, nihilominùs perſeueret affectus, parandum eſt medicamentum à quo ad inferiora protrudatur aſcendens humor, ſimúlque os vẽtriculi ſuperius conſtringatur. Hoc præſtabit integrũ rhabarbarũ cõmanducatum, vel redactum in puluerẽ exceptúmque ſyrupo roſ.lax. ad conſiſtentiam opiatæ craſsioris. Etenim ſi liquidum fuerit medicamentũ, non diu in ventriculo ſubſiſtet. Omnium verò efficaciſsimũ & iucundiſsimũ eſt diacydoniũ laxatiuũ, ex carne cydoniorũ ſacch. condita & ſcãmonio vel dacrydio: cui ſi nonnihil myrobalanorũ emblicarũ vel citrinarũ addideris, egregiè conſtringet humorémq; ad inteſtina deturbabit. Hoc facto poſteaquàm vomitus per aliquot horas ceſſarit, humoribus per anũ prodire incipientibus aliud diacydoniũ eſt exhibendũ, vel myrobalani conditæ fruſtũ: quò ventriculus magis magíſque roboratus & aſtrictus humores (ſi qui fortè deinceps ad illum vergere perſeuerent) non

Diacydonium laxatiuum.

admittat

admittat. Tunc ſanè conuenientiſsimum erit quod Gal.deſcribit lib.8. κατὰ τόπους, Cap.4. in ſequentem ferè modum:

℞ mala cotonea fœminina (Græci ςρουθία vocant) N. 5. ſorba & meſpila an. N. 25. rhois rubri ſeu granorum ſumach Cōfectio. maturorum ℥ x. aquę pluuię.q.ſ. Fructus contuſi diligenter coquantur, & vbi fuerint diſſoluti liquor exprimatur: quē rurſus decoque addita ſacch.albiſ.tertia parte, ad iuſtam ſpiſsitudinem. Formetur ad inſtar μηλοπλακουντίου, hoc eſt, placentæ ex cydoniis, quam noſtri cydoniatum vocant. Efficacius erit, & non modò vomitū ſed etiam fluxū alui cohibebit, ſi addideris corna & pruna ſylueſtria (ex quibus acacia noſtra paratur) an. N. 50. bacc. myrti nigr. quantū rhois. Atque ſi materia eſt magna ex parte pituitoſa vel ipſe ventriculus frigidior, optimum fuerit antè dictis admiſcere piperis longi vel albi contuſi ℥ j. maſtiches ʒ x. & coquere omnia in æquis partibus vini auſteri & aquæ prædictæ.

Condita vel confectiones à quouis cibo ſemper conuenient, ex conſerua roſarum & ſymphyti, carne cydoniorum cōdita ſacch. & vſus tempore lota roſacea, myrobalanis ſimiliter præparatis, coral-

lio rubro vſto & loto, nec non trochiſcis de ſpodio, de ſuccino aut terra ſigillata.

Victus ratio. Quòd ad victus rationem attinet, aër ſit tẽperato frigidior & ſiccior, corporis nulla aut mollis agitatio: hac enim cieri magis vomitum docet nauigatio, vti monet Hipp. Aph. 14. 15. Exercitii vicem ſupplebit totius corporis frictio, hîc etiam ad reuulſionem valde neceſſaria. In cibis conueniunt craſſa fercula, non liquida & fluxilia, amylum, ſemola, oryza aut panis lotus ex iure gallinæ, cui pedes ſuilli, veruecini aut vitulini incocti fuerint. Omnium maximè competit lac caprillum aut vaccinũ ſedulò chalybeatum: ex quo cum farina hordei torrefacti polenta fiat, additis, ſi placet, vitellis ouorum, aqua roſ. & ſacch. Carnes aſſę roſacea conditæ vel ſucco arantiorum, malorum granatorũ vel omphacio hîc magnoperè commmendãtur: imprimis verò gelatina ſuperiùs deſcripta. Si frigidior eſt ventriculus, concedãtur aromata, caryophylli, nux moſchata minimè recens (pinguior enim vomitum & nauſeam magis prouocat) ſed planè carioſa, cinnamomum & crocus. Vinum antiquius bibatur quod ſubauſterum ſit: diluatur verò aqua ciſternę vel chalybeata, idque plurimùm, ſi febris eſt vehementiori

tior: minùs, ſi remiſſa aut ferè nulla. Cibus perquàm exiguus & interuallis ſolito longioribus offeratur, ſed multò frugalior ſit potus. Quæcunque verò offerũtur actu frigida eſſe præſtat, vel calidiſſima: tepida enim vomitum excitant. A paſtu ſemper aſſumatur aſtringens aliquid, quo ventriculi os ſuperius exactè claudatur. Admoueri ſolent olea, vnguẽta, emplaſtra & cruſta panis toſta ac vino generoſo ſaturata pulueréque maſtiches, nucis moſchatæ & caryophyllorũ inſperſa. Adhibentur & ſacculi aliáque multa: quæ à nobis improbantur omnia quaſi irrita, præter cucurbitulam: qua affixa peritiores cibum offerri præcipiunt, & ab ea diu ſuſpendi hypochondria ſinunt. Atque eius commodi, quod afferre ipſa poteſt ſanè euidentiſsimum, rationem ex ſupradictis capite de ſingultu colligere licet.

De alui fluxu. Cap. XXII.

VOmitus curationi magnã partẽ reſpõdet alui fluxus curatio: qui etiã tunc modò ſiſti debet, cùm & immodicus & intẽpeſtiuus fuerit, fiétque per eum materiæ vtilis atque lauda- Cauſæ.

bilis euacuatio, ſeu nimiùm irritetur expultrix facultas, ſeu contentrix ipſa parũ valeat. Qui vero fluxus alui morbos iudicat vel acceſsiones finit, ſiſti nunquã debet. Porrò duplex febricitãtibus accidere ſolet: aliàs enim materia laudabilis reiicitur, vt chylus, túmque fluxus chyloticus appellatur: aliàs & frequẽtiùs inutilis humor, pituita inquàm vel bilis alterutra, ſed
Curatio. frequentiſsimè flaua. In priore caſu maxima ventriculi habenda cura, dandáque opera vt is conuenienter exiccatus & cõcalfactus conſtringatur. Fiet autem id remediis iis quæ ad nauſeam ex ſimili cauſa paulò antè preſcripſimus: atque illis ſimilia per clyſteres etiam iniici debent, quò inteſtina ſimiliter corroborentur, & chylum à ventriculo demiſſum diutius retineant.

Clyſter. ℞ foliorum plantaginis & cẽtinodiæ, rhois coriariorũ, ſummitatum rubi, fol. tapſi barbati & conſolidæ maioris an. M. j. abſinth. puleg. & calamenti an. M. ß. s. fœniculi ℥ iij. roſ. rub. P. ij. oryzæ torrefactæ P. j. fiat decoct. in aqua chalyb. Cape de col. ℔ j. mellis roſ. col. ℥ iij. vitellos ouorũ recentiũ N. ij. miſce: iniiciatur. Valentior erit, ſi in decoctione diſſoluas myceletæ Nicolai ℥ j. (quæ vel leenteriam

teriam efficaciſsimè curat) & decoquẽdis addas balauſtiorum & hypociſthidis an. ℥ iij. gall.viridium & nucum cypreſsi an.℥ ij.

Eiuſdem facultatis emplaſtra vniuerſo abdomini admouenda ſunt: vt emplaſtrũ de gallia, de maſtiche, pro matrice, contra rupturam, &, quod tanti fit ad vomitus & alui fluxus, de cruſta panis authore Mõtagnana. Si pondere grauans aut cõprimens diſplicet emplaſtri forma, ex eadem materia fiet vng. addito ol. cydon. roſ. myrtino, de maſtiche, aut (quod efficaciſsimum deprehendimus) lentiſcino. Vel: Emplaſtra.

℞ roſ.rub. bacc. & fol. myrti, cort. thuris & maſtiches an. ℥ iij. malicorij & balauſtiorũ, hypociſthidos, gall. viridiũ & nucum cupreſsi an. ℥ ij. corall. vſti & ſpodii an.℥ j.ß.croci ℥ j.caryophyll.macis & nucis moſchatæ an.℈ ij. ſpicæ nardi ℈ j.ol. cydon.& lentiſcini, vel alterius ex recenſitis, aut (ſi frigidior ſimul eſt intemperies) olei nard. & de abſinth. an. ℥ iiij.ceræ albæ q.ſ.fiat vnguentum.

Inunctionis tempore nunquam omittatur acetum, quod & propria vi aſtringit & reliquorum facultatem ſua inſigni tenuitate partium ad ima vſque deducens

medicamenti actionem reddit multò excellentiorem. Ad id etiam vel maximè facit, ante vnguenti vel emplaſtri admotionem vniuerſum abdomen fouere aliquantiſper decocto aſtringentium, qualia modò fuere propoſita. Sic enim pateſit aditus craſsioribus medicamentis.

Cæterùm quãdo fluxus eſt bilioſus vel pituitoſus vel melãcholicꝰ, æger primùm ad vomitum ſolicitari debet, ſi nihil diſſuadeat: vel propinandum catharticum adſtringendi vi pollens, à quo iam cõmotus humor & ſenſim defluens ἀθρόως expellatur, relicta poſt ſe adſtrictione. Eiuſmodi aliquot paulò antè recenſuimus. Neque priùs eſt valdè adſtringentibus vtẽdum, ne praui humores viſceribus magis impingantur eáque peſſimè irritent, aut ſi acria fuerint exulcerent. Sed quò magis id euitetur incommodum, humor ipſe contemperandus eſt ἐπικεραστικοῖς ante omnem eius expulſionẽ, vti antè monuimus. Illis itaque tam iniectis quàm aſſumptis ſyrupus de ribes hîc vnicè commendatur, præſertim quando acrior eſt

Syrupus de cornis. humor. Eius loco ſyrupum de cornis parare ſuadeo, cuius efficaciam non rarò & fælici admodũ ſucceſſu vel in dyſenteria ſum expertus. Non ſunt omittenda quæ

vrinas

vrinas ciere poſſunt: fit enim ab iis omniũ cõmodiſsima diuerſio, vnde & aluus exiccatur. Nam & mictio noctu plurima facta paruam ſignificat deiectionem, vt monet Hipp. Eôdem pertinent ſudores mouentia, quæ à centro ad circumferentiam optimè reuellunt. Sudoris enim & vrinæ materia prima eadem eſt cũ ea quę aluum fluxilem magis reddit. Quibus vero ὑδροφύγοις & diureticis in febribus vti liceat, iam multò antè docuimus. Cucurbitularũ circa vmbilicũ admotio. hîc plurimùm conferet vt in ſuperioribus, & alia quæ aduerſus vomitum & chyloſum alui fluxum prodeſſe vel ex medicamentis, vel in victus ratione monuimus: hoc tamen excepto, vt adſtringentia cibos præcedant, nec perinde ac in vomitu cohibendo ſequantur. Omnium verò maximè ſomno & quieti indulgendum eſt, qualiſcunque fuerit affectus cauſa. Somnus enim omnes ſiſtit fluxiones præter ſudores.

Aph. 83. lib. 4.

De alui aſtrictione. *Cap. XXIII.*

ALui aſtrictione laborant plerique initio febriũ, vel potiùs ex alui aſtrictione in febrem ipſã incidunt. Quando enim ſolita & planè

naturalis euacuatio intermittitur, conſecutione quadam vniuerſum corpus non
Cauſæ. modò grauatur, ſed etiam calet immodicè: corde verò tandem ſimiliter affecto febris excitatur. Atque ea obſtructio frequẽtior eſt tanti mali cauſa, nõ itẽ venarum & arteriarum: quæ multò rariùs accidit, ſæpius tamen accuſatur. Porrò excrementorum alui detentio in febricitãtibus augetur ab immodico ventris inferioris viſcerum calore, à quo, dum humoris plurimum abſumitur, ſtercus ipſum ſicciùs euadẽs ſui expulſioni magis reſiſtit. Supinus decubitus idem facit, cuius ratione lumbi aut renes ampliùs incaleſcunt.

Hinc laxãdæ alui methodus colligi po-
Curatio. teſt, ſcilicet vt fomentis vel vnctionibus partes eæ refrigerẽtur, quarũ intẽperie pigrior fit aluus. Sunt verò in ſuperioribus deſcripta ad hepatis, renũ & lumborũ refrigerationem tum epithemata tũ etiam vnguenta, quæ ad præſens quoque inſtitutum vſurpabimus. Prætereà clyſteribus vtendum eſt frequẽtioribus, iiſque plurimùm emollientibus & refrigerantibus, vt & viſcerum intemperies remittatur & diluantur fæces quæ in colo potiſsimùm induratæ ſunt. Sufficit nonnunquã balanos .i. ſuppoſitoria ſubdere ad excitan-

citandā vim expultricem. Horum verò vt, & clyſterum deſcriptiones varias iam ſæpè protulimus. Poſtremò incoquenda ſunt iuſculis multa borrago, lactuca & oxalis, maluarum turiones, portulaca & endiuia: ipſáque iura pinguiora eſſe debent, niſi febris diſſuadeat aut in nauſeam vomitúmve propenſitas. Pruna ex multo ſaccharo cocta, vel poma dulcia itidem cocta largioréque ſaccharo conſperſa concedantur, necnon fructus ὡραῖοι perfectè maturi: quos ſi verearis ne in ventriculo bileſcant (nam dulcia ſe in bilem vertunt igneo calori occurſantia, non item putrent, vt vulgo creditur: hoc enim potiùs ſanis accideret, quibus tamen eorum fructuum vſus non interdicitur) bibatur poſt crudum purum, id eſt, pura aqua nō ſyrupo edulcata, eadémque frigidior: ſic enim aluus promptè ſubducetur, & viſcera vtiliſsimè refrigerabuntur. Verùm quia tunc vulgo ſuſpecti ſunt fructus omnes præter conditos ſaccharo vel coctos, à prudentioribus Medicis ita iamdudum (ſi bene coniicio) perſuaſo ne iis temerè abuteretur: quò vitetur calumnia omnis, in eorum vſu rariore parcioréque maxima frugalitas eſſe debet.

Eſt etiam aſtrictionis vel obſtructionis

cuiuſdam effectus quem Icterum vocāt, alui quoque adſtrictæ cauſa. Dum enim bilis à ſua veſiculà in ἔκφυσιν non reiicitur, occupato videlicet eius meatu, pigrior fit aluus. Nonnūquam eſt in cyſti fellea tanta vis attractricis imbecillitas, vel ſatietas & faſtidiū, vt ab hepate hoc ſuum alimentum non alliciat.

De ictero. Cap. XXIIII.

IN febribus autem frequētiùs accidit regius iſte morbus ex nimia bilis copia, quam venæ præcalidæ gignunt, tandémque in vniuerſi corporis habitum per criſim diffundunt. Per hunc affectum alui excrementa non retinentur, nec apparent candidiora, ſed potiùs crocea, éſtque vrina ſimiliter plurimùm eodem imbuta colore, cutis aridior & pruritu laborans. Fit nonnunquā ſenſim, quia ſenſim humor gignitur atq; diffunditur, aliàs verò, & ſalubriùs, accidit affatim, humore vniuerſo ad vnicam expulſionem ſeruato: quæ ſi die cōtingat impari, optimè decernit. Cæterùm quæ ex tótius corporis præcalida intemperie ortum habet, iis indiget quæ aduerſus eiuſmodi intemperiem nudam vel ſimplicem

Cauſæ.

Curatio.

cem mox ab initio præſcripſimus, vt refrigerato & humectato omni ex parte habitu ceſſet bilis flauæ generatio. Quod verò iam impactum cutem inficit, qualiſcunque fuerit eius cauſa, iiſdem planè remediis tollitur. Ea ſunt balnea quæ abſtergendo leuiter reſoluunt, in quibus nihil quod verè aut tantummodò adſtringat admittitur.

℞ radicum bryoniæ & enulæ campanæ an. lib. j. radicum liliorum & oxylapathi an. lib. ij. foliorum abſinthii M.ij. parietariæ, mercurialis, betæ rubræ, braſſicæ, ſcabioſæ, vtriuſque cichorii & vtriuſque adianti, fumariæ & agrimoniæ an. M.iiij. lupulorum ℔.j. fabarum, lentium & cicerum rubrorum an. ℔.ij. hordei integri & furfuris macri in panno ligati an. P. iij. florũ ſtœchados & roriſm. an. P. ij. roſarum rubrarum & centaurii minoris an. P.j. Fiat decoctio in aqua fõtis dulci. i. potabili vel pluuia pro balneo: quod ingrediatur ieiunus æger, & in eo bene temperato diuturnam morã trahens perfricandum curet corpus vniuerſum præſcriptis herbis. Balneum.

Egreſſus è balneo inungatur oleis ſimili facultate præditis, qualia ſunt aduerſus quartanæ horrorẽ propoſit: aſed ex iis ad

præſens negotium vſurpentur quæ minùs calefaciunt, qualia ſunt quæ illic primo loco recenſita ſunt. Frictiones quoque molles ictérũ ſanãt frequentiùs repetitæ, quãdo totus humor iam incorporis habitu fuerit diſperſus, quod etiã in balnei & vectionis vſu ſupponimus. Etenim ſi quid ſubeſt humoris in venis quem aſsiduè protrudat expultrix facultas, hic fugandus eſt priùs χολαφύγοις medicamentis, quàm topica inſtituantur: vt ratio huc vſque à nobis diligẽter obſeruata ſuadet.

De frigore, rigore, & horrore. *Cap. XXV.*

SEquuntur frigus, rigor, horror, ſola magnitudine inter ſe differentes affectus: qui proinde remediis iiſdem genere mitigari poſſunt. Eos verò intelligo, qui febrũ acceſsiones præcedunt. Nam qui rigor febres ardentes finit, ſemper boni conſulendus eſt,
pag. 115. quantumuis diuexet ęgrotanetm: Cæteri minuãtur aut ſedentur iis quæ in quartanæ febris curatione docuimus, per quã ferè infeſtiſsimum eſſe horrorẽ diximus. Supereſt vt hoc loco defluxionis quam in epiala eiuſmodi affectum (nempe horrorem

rem)adaugere diximus,remediũ aliquod, quantum inſtituto noſtro conuenit, tradamus. Vulgus imperitum hoc caſu multis .integumentis & calidorum lapidum admotione optimo quidẽ ſucceſſu ſudorẽ exprimit,vt in Epiala monuin9:ſed prius vtcunque ſiſtenda eſt defluxio, ne tanto impetu ruat, & ſenſim coquẽdus humor, vt minore diſpendio vel nulla noxa reiiciatur. Hoc præſtabit ſuffitus,quo capitis ornamenta,fumigẽtur,in ſequentem modum paratus: Horroris in epiala remedia.

℞ roſarum rubrarum, corticis thuris, maſtiches, gũmi hederæ, helenii, iuniperi(hoc Arabib9 ſandaracha, vulgo vernix nuncupatur) nigellæ Romanæ, granorũ tinctorũ an.ʒ ij. ſantalorũ albi &rubri,calami aromatici, ſpicæ nardi an.ʒ j. nucis moſchatæ & macis an. ʒ ß. Conquaſſentur omnia pro ſuffumigio,vel tenuiter puluerẽtur & terebinthina excipiãtur, fiántque trochiſci lupinares in eundem vſum.

Aliud verò ſuffumigium eſt inſtituendum pro lecti ſtragulis & induſio, in quo nihil ſit adſtringens: cuiuſmodi erit modò præſcriptum, ſi loco roſarũ & vtriuſque ſantali addas radicis iridis ʒ iij.myrrhæ ʒ ij. croci ʒ j. Poterit verò,ſi placet, ne corpus nudetur, medicamẽti qualitas,

id eſt vis, ad caput peruenire, ſi fumus per embotum intra lectum recipiatur: quod ſanè vtilius eſt, quàm oleis vel vnguentis vniuerſum corpus illinere, cùm hac febre laborantes corporis denudationem ægerrimè ferant.

De Sudore. Cap. XXVI.

Sudor in criſi tam vniuerſali quàm particulari erumpens admittendus eſt, quandiu pulſus magnus & vndoſus apparet, viréſque facilè ferunt, & ex tali euacuatione recreatur æger. Quinimò ſi difficilior eſt eius eruptio, adiutāda eſt natura calore medio-
Sudorem promouentia. cri, ſomno & alta quiete: admotis etiam lapidibus aut lateribus calidis ad plantas pedum, & veſicis decocto calente plenis ad emunctoria, vel propinatis ſudorificis anteà deſcriptis, aut ſyrupo acetato ſimplici vel capill. Veneris cum decoctione fœniculi & graminis, vel aqua hordei. Calida verò ſit potio vel egelida vt diſſoluēdo aperiendóque aut exprimendo ſudores præſtantiùs commodiúſque excitet. Prodeſt quoque ſubinde abſtergere & fricare cutem: quia ſic magis reſerātur pori, & ſudor ſudori locum cedit. Paulus cali-

calidũ clyſterem infundi iubet, qui calidæ potioni vel externo fotui altera ex parte reſpondet. Hæc autem proderunt, qualiſcũque fuerit cauſa retẽti vel fortiùs manãtis ſudoris, nẽpe craſsities aut lẽtor.

Quòd ſi nimis profluat ſudor ex corporis habitu reſoluto (quem διαφορητικὸν ſudorem appellant) ſitque frigidior, qualis ſi debilis eſt æger lethalis prędicatur, ſenſim cohibendus eſt. Id verò fiet in aëre frigidiuſculo & feneſtris adapertis renouato per euentilationem ſub leuiſsimo integumento, & detracta molli culcitra: ad hæc facie poſca frequẽter inſperſa, & potionibus aſſumptis quæ præcipua viſcera corroborando adſtringant, cuiuſmodi fuerit ſequens: Sudorem cohibẽtia

℞ conſeruæ roſarum ℥ ij. pulueris diamargar. frigidi ℥ j. diacorallii, confectionis alkermes an. ℈ ij. pul. triaſantali & trochiſcorum de terra ſigillata an. ℈ j. ſyrupi myrtini ℥ j. decoctionis bugloſſæ vel borraginis q. ſ. fiat potio. Parũ bibat æger, & vino adſtringente vtatur cibíſque aridioribus. Sudor abſtergendus non eſt, ſed ſinẽdus vt ad poros cutis concreſcẽs alium erumpere non ſinat. Vel poſt madidorum ex ſudore pannorũ amotionem alio quodam panno inuoluatur æger, qui Potio primaria viſcera cõfirmãs.

ex roſacea vel myrtina aqua parum madeat, & vix tepens admoueatur. Prodeſt etiam cordi & hepati refrigerantia epithemata vel vnguenta applicare, de quibus in ſuperioribus abundè ſatis. Veteres ἐμπάσμασι ſeu διαπάσμασιν vtebantur ex refrigerāte & adſtringente materia, roſis, terra Samia, Cimolia, creta, alumine ſciſſili, gypſo, malicorio & ſimilibus, quæ trita inſpergebant, vel oleo adſtringente excepta inungebant. In leuiore affectu ſat erit totum inferiorem ventrem & thoracis partem ſiniſtram (ad māmam ſcilicet) vbi cordis pulſatio deprehēditur, vngere roſaceo oleo, melino, vel alio ex adſtringentibus paulò antè recenſitis, & puluerē myrtillorum ſucci vel maſtiches inſpergere: vel vſurpetur vnguentum poſtremo loco deſcriptum, quo illinantur partes à quibus ſudor nimius erumpit.

Empaſmata.

Hęc de febrium Symptomatis, quātum ad earum abſolutam tractationem pertinere nobis viſum eſt.

Βροτοῖσιν οὐ λάτρευσε.

BIBLIO... ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX AMPLISSIMVS eorum quæ libris hiſce continentur.

ABſinthii coma ad tertianá exquiſitã, pagina 100
Aceti vis ad alui fluxũ 254
Acetum humori melãcholico nimiùm fauet 79
Acetum in quartana ſpuria parciſſimum conceditur 133
Acida omnia vitanda in quartana exquiſita 113
Aër lucidior cur & quando fugiendus 9
AEſtum quæ remittant 173
AEſtus febris ſymptoma 173
Alteratio repentina vitanda 5
Alui aſtrictæ curatio 256
Alui aſtrictionis cauſæ 256
Alui fluxum ſiſtentia 38
Alui fluxus cauſæ 251
Alui fluxus curatio 254
Alui fluxus duplex 252
Antipatri Sidonii anniuerſaria febris 160
Ἀποσιτία. Vide Cibi faſtidiũ.
Appetentiæ effrænatæ genera varia 220
Appetentiæ irritamenta 218
Appetentia quid. 220
Appetentiam quæ inuitent aut retineant 214
Aqua ad capitis ardorem 72
Aquæ potio in cauſo 69
Ardens febris. vide Cauſus.
Aromaticum roſatum 245
Arteriaca 181
Aſſumenda in ardore ventriculi 20
Aſſumenda non debent eſſe deleteria 3
Aſſumenda topicis longè præſtant ad ventriculi affectus 21
Aſtringentia ad nauſeã cõuenientia 244
Aſtringentia cibos præcedant ad alui fluxum 255
Athanaſia 190

B

BAlnea ad quartanam cõuenientia 127
Balneum ad hecticam 40
Balneum ad icterum 259
Balneum ad intemperiem calidam 11
Balneum vtile in tertiana exquiſita 101
Bechica 180
Bilis pręcipua febrium ma-

teria 92
Bolus ad hepatis intemperiem calidam 18
Bolus catharticus ad quotidianam 147
Bolus purgans 82
Βουλιμίας cauſa 221
Βούλιμος 220
Βούλιμος diabeti rectè comparatur 222
Β υλίμου remedia. Ibidem

C

CAloris exuperantiam emendantia medicamenta 7
Canina appetentia 220
Capitis dolor. vide Cephalalgia.
Capitis intemperiei calidæ curatio 28
Capitis intemperiei calidæ ſigna & cauſæ Ibid.
Cappares 79
Caſeus antiquior magis nocet 112
Catapotia ad cibi faſtidium 219
Catapotia ad nauſeam 240
Catapotia ad quotidianam 144
Reliqua vide in Pilullis.
Cathartici ad quartanã aſſumendi tempus 120
Catharticon vltimum ad quartanam cõtinuam 85
Cauſæ morborum duplices 4
Cauſi cauſæ. 63
Cauſi nomen vnde ductum 62
Cauſi prognoſticon 63
Cauſi ſigna critica Ibid.
Cauſi ſigna pathognomonica 62
Cauſo accommodata victus ratio 65
Cauſus hyeme periculoſior 64
Cephalalgiæ cauſæ 183
Cephalalgiæ cohibẽdæ mitigandæque ratio 184
Cephalalgiæ differentiæ 183
Cephalalgia reuulſione curatur 188
Ceraſa acida cõdita eluenda ad depellendam ſitim 203
Cibi faſtidii cauſæ 211
Cibi faſtidio conueniẽs victus ratio 213
Cibi faſtidium 211
Cibi faſtidium pellendi ratio 212
Cibi in vomitu accommodati 250
Ciborum exhibitio in ſynocho imputri 55
Clyſter acris ad ſoporem 197
Clyſter ad alui fluxum 252
Clyſter appetentiam excitans

citans 215
Clyſter ad cauſum 69
Clyſter ad ephemeram 48
Cyſter ad hecticam 40
Clyſter ad quotidianā 142
Clyſter ad quotidianā cōtinuam 90
Clyſteres ad vomitum 247
Clyſter ad vteri feruorem 26
Clyſter nutriens 216
Clyſter phlebotomiæ præmittendus 81
Colocynthis nunquam niſi ritè præparata exhibenda 147
Cōpoſita febris duplex 162
Cōpoſita febris quæ. Ibid.
Compoſitæ febres quotuplices 163
Compoſitarum febrium cu ratio 170
Concoctio ſecunda prioris vitia non emendat 217
Condita ad vomitum 249
Conditum inſtaurans ad quartanam 117
Conditum reſtaurans 66
Confectio adſtringens ad vomitum 249
Confectio alkermes 131
Cōfectio de hyacintho. Ib.
Confuſæ febres quæ 164
Confuſio febrium 163
Conſeruę alterātes in quotidiana continua 149
Continui ſolutio quinta ſpecies malæ conformationis 1
Cōtuſionis ſenſus cauſæ 173
Corallium 150
Criticæ eruptiones quibus & quādo promouēdę 101
Cruditatis ſigna 226
Κρυμώδης febris quæ 154
Cucurbita 76
Cucurbitulę ad vomitū 248
Cucurbitularum & phlebotomiæ vſus ad calidā intemperiem 24
Cucurbitula ventriculo adhibita ad ſingultum 240
Curādi pręcepta generalia. 2

D

Diacodium 190
Diacydonium aromaticum 245
Diacydonium laxatiuū 248
Diaria febris. vide Ephemera.
Digerentia 187
Diuretica ad quotidianam 146
Diurna febris 159
Dyſpnœæ cauſa 177
Dyſpnœā quę tollant 178

E

Eclegma ad linguæ ſiccitatem & aſperitatem 205
Electaria purgātia ad quotidianam 147

Electaria purgantia vtilia initio quartanæ 119
Electaria vires confirmãtia in quartana continua 85
Electariũ diarrhodon verè hepaticum 102
Electarium ſolidum ad intemperiem calidam 11
Electariũ ſolidum ad quotidianam continuam 90
Elect. ſolidũ ad quotidianam intermittentem 149
Elect. teſſellatum ad quartanam continuam 84
Ἐλώδης febris quæ 154
Ἐμπάσματα 264
Emplaſtra ad alui fluxũ 253
Emulſio ad ſingultum 239
Ephemeræ accommodata victus ratio 44
Ephemeræ cauſa cõtinẽs 42
Ephemerę cauſę euidẽtes 43
Ephemeræ medicatio 47
Ephemeræ prognoſticõ 44
Ephemeræ ſigna 42
Ehemera extenſa. Ibid.
Ephemera febris vnde 41
Epialæ curatio 156
Epiala febris vnde dicta 154, & 155
Ἐπικεραστικὸς ad ſingultũ 238
Ἐπικεραστικὸς cibi 233
Ἐπίκρασις 232
Epithema ad intemperiem calidam 13
Epithemata ad cauſum 70
Epithemata cordis ad quartanam. 126
Errabundæ febres 170
Erratica febris 159
Error Arabum 67
Error in propinando carthartico 60
Error Practicorum 98
Exercitio pellitur faſtidiũ 218
Exercitium in tertiana notha vtile 105
Exquiſita febris 165
F
Faciei calidæ intẽperiei curatio 27
Faciei calidæ intemperiei ſigna & cauſæ 26
Famẽ puerilẽ quę ſedẽt 221
Fames quid 220
Febres catarrhoſæ 156
Febrilis materiæ ſedes eadẽ in febribus omnibus 99
Febris quid. 30
Febris vix vlla ex largiore pituita 137
Febrium differentiæ 30
Fotus ad lumborum intẽperiem calidam 15
Fotus ad vteri feruorẽ 24
Fotus ex aſtringentibus ad alui fluxum 254
Fotus ex ſpõgia ad horrorem quartanæ 115
Fotus hypochondriorum ad quartanam 125

Fotus

Fotus manuum & pedũ ad ſomnum 192
Frictiones ad icterum 260
Frictiones ad vomitum 250
Frictiones in ephemera quã do opportunæ 49
Frontale liquidum ad cephalalgiam 186 & 187
Frontale ſiccum ad cephalalgiam 188
Fructus conuenientes in quartana exquiſita 112
Fructus ſubducendæ aluo accommodati 257

G

Galea ignita ad ſoporem 200
Gargariſma ad lentorem 209
Gelatina 214
Guſtus deprauati cauſæ 210.
Guſtus deprauati curatio 211

H

HÆmorrhoidum prouocatio in quartana 127
Hecticæ accommodata victus ratio 34
Hecticæ febri conuenientium alimentorum differentia duplex 36
Hecticæ febris cauſæ 33
Hecticæ febris curatio 34 & 39
Hecticæ febris nomẽ vnde 31
Hecticæ febris ſigna 32
Hecticæ triplex differentia 31
Helleborum interdicendũ quouis quartanæ tempore 120
Hepatis intemperiem corrigentia in tertiana exquiſita 102
Hepatis refrigeratio duplicem cautionem deſiderat 18
Herbæ incoquendæ iuſculis ad ſubducendam aluum 257
Horroris in epiala remedia 261
Humectantia medicamenta 30
Hypochondriorum iuſta craſsities quibuſuis in morbis laudatur 65

I

IActationi qua ratione occurrendum 175
Iactationis cauſæ Ibid.
Icteri cauſæ 258
Icteri curatio. Ibid.
Icterus alui aſtrictæ cauſa Ibid.
Imbecillitatem quæ mitigent 174
Imbecillitatis cauſa Ibid.
Implicatio febrium. 163
Implicitæ febres 166

Indicarum gallinarum caro delicatiſsima 111
Inſtaurans 39
Intemperiei calidæ ſimplicis per diætam curandæ ratio 9
Intemperiei calidæ ſimul & ſiccæ curatio 30
Intemperiei calidæ totius corporis curatio 6
Intemperiei calidæ totum corpus occupantis ſigna & cauſæ Ibid.
Intemperiem calidam alterantia medicamenta 10
Intemperierũ vniuerſa curatio 4
Intemperies compoſita duplex 1
Intemperies octuplex Ibid.
Intemperies ſimplex perpetuò nuda 2
Intermittentium febrium à continuis diſcrimen 93
Intermittentium febrium natura duplex 94
Intermittentium febrium ſigna Ibid.
Inunctiones dorſi ad horrorem in quartana 115
Iulepus ad quartanam continuam 83
Ius carnis laxatiuum 82
Iuſculis incoquẽda ad quartanam 122
Lac chalybeatum 250
Lactis vſus in hectica 34
Lac virginale ad faciei calorem 28
Lamina plumbea lumbis adhibenda. 16
Laſsitudinis cauſæ. 173
Laſsitudo quibus tollatur 174
Lentoris dentium, linguæ & palati cauſæ 208
Lentoris deterſio 209
Linguæ ariditatis cauſæ 204
Linguæ aſperioris cauſa 205
Linguæ fiſſurarum cauſa Ibid.
Linguæ fiſſurarum curatio 206
Linguæ nigritiei cauſa 205
Linguæ nigrorem quæ deleant 206
Linguæ ſiccitatis & aſperitatis curatio 205
Linimentum ad linguæ fiſſuras 208
Linimentum ad lumborum intemperiem calidam 15
Linimentum hypochondriorum 125
Linimentum thoracis ad dyſpnœam 179
Lipothymiæ cauſa 223
Lipothymiæ curatio 224

Lipo-

Lipothymia quibus tollatur ocyſsimè. 223
Lipyria febris quæ 153
Lipyria vnde dicta Ibid.
Lotio ad faciei calorem 27
Lumborum dolor 183
Lumborum intēperiei calidæ cauſæ & ſigna 15
Lumborū intemperiei calidæ curatio Ibid.

M

MAnuum & pedum ardoris cauſæ 16
Manuum pedúmque ardoris curatio 17
Medicamenta fortiora vitanda in ſtatu quartanæ 124
Medicamenta noſtra leuiora ignota Veteribus in ſyncopali febre vſurpari poſſunt 228
Medicamenta φλεγμάφυγα 143
Medicamenti latior ſignificatio. 3
Medicamentum de tribus piperibus 123
Medicamentum dioſpoliticum Ibid.
Medicamētum leuiter purgans ad tertianam exquiſitam 99
Medicamenta quæ conueniant & quādo in ſynocho putri 59
Morborum prima ſummáque genera 1

N

NAuſea 241
Nauſeæ cauſa Ibid.
Nauſeæ & vomitus diſcrimen 241 & 242
Nauſeæ ſedandæ ratio 243
Nocturna febris 159

O

OLea ad icterum 259
Olea ad intemperiem calidam 12
Olea digerentia. 187
Oliuæ κολυμβάδες 79
Opiata ad intemperiem calidam 11
Opiata ad quartanam continuam 84
Opiata ad quotidianā continuam 90
Opiata ad quotidianam intermittentem 189
Oppreſsionis cauſæ 176
Oppreſsio quibus ſedetur. Ibid.
Oxyrhodinon 29

P

PAraphrenitidi quomodo obſiſtendū 194
Paraphrenitidis cauſa Ibid.
Paraphrenitidis ſigna Ibid.
Paraphrenitis 193
Παραφρισύνη Ibid.
Peſtilens febris 52
Philonium Romanum 190
Phle-

Phlebotomiæ partitio in quartana ſpuria 134
Phlebotomiæ præmittēda obſeruatio neceſſaria 53
Phlebotomiæ ſubſtituta 54
Phlebotomia in cauſo 67
Phlebotomia in quartana continua 81
Phlebotomia in quartana intermittente 118
Phlebotomia in quartana ſpuria liberalior quàm in legitima 133
Phlebotomia in quotidiana continua 87
Phlebotomia in tertiana exquiſita 98
Phlebotomia in tertiana notha parcior 106
Phlebotomia parcior in cauſo quàm in ſynocho. 68
Phlebotomia quotidianæ exquiſitæ minimè conuenit 142
φλέγωσις quid 5
Phœnigmus ad ſoporem 199
Pilullæ ad quartanam 119
Pilullæ ad ſingultum 238
Pilullæ ventriculū expurgantes 246
Cætera vide in Catapotiis.
Populnei vnguenti vſus 13
Populneum temporibus illitum 185
Poſca abundè refrigerat 9
Potio ad hepatis intemperiem calidam 18
Potio ad lĕtorem œſophagi 21
Potio ad ſoporem 198
Potio cathartica ad quotidianam exquiſitam 146
Potio cathartica in quotidiana continua 88 & 91
Potio diuretica 74
Potio ex infuſione rhabarbari 230
Potio primaria viſcera cōfirmans 263
Potio purgans 83
Potio purgans ad quartanam 119
Potio ſomnifera 191
Potio vomitoria 47
Potus ad intemperiem calidam loco vini 11
Potus frigidæ in ſynocho imputri 55
Potus in quartana cōtinua 79
Præparatio ad vomitum. 247
Principiis obſtandum 3
Puluis ad nauſeam 246
Puluis inſpergendus capiti ad ſoporem 199
Puluis rubrificans ad ſoporem 200
Purgantia ad hepatis intĕperiem calidam 17

Purgan-

Purgantia ad quartanam ſpuriam 134
Purgatio in cauſo quando conueniat 68
Purgatio in ſynocho putri 58
Purgationi tempus accõmodatum in ſynocho putri, morbi declinatio 61
Purgatio nunquam in acceſſionibus tentanda 98

Q

QVartana duplex & triplex 167
Quartanæ continuæ cauſa 77
Quartanæ continuæ conueniens victus ratio 79
Quattanæ continuę curatio 78 & deinceps
Quartanæ continuæ ſigna 77
Quartanæ exquiſitæ cauſa continens 109
Quartanæ exquiſitæ curatio 115
Quartanæ exquiſitæ prognoſticon 109
Quartanæ exquiſitæ ſigna 107
Quartanę exquiſitæ victus ratio 111
Quartanæ ſpuriæ curatio 133
Quartanæ ſpurię prognoſticon 131
Quartanæ ſpuriæ ſigna & cauſæ Ibidem.
Quartana laborãtes frigoris impatientiſſimi 110
Quartana legitima in ſtatu eodem modo curanda, quo tertiana ſpuria in principio 130
Quintana febris &c. 160
Quotidiana duplex 166
Quotidianæ cõtinuæ cauſa continens 86
Quotidianæ continuæ cõueniens victus ratio 87
Quotidianæ continuæ prognoſticon 87, & 89
Quotidianæ continuæ ſigna 86
Quotidianæ exquiſitæ cauſa continens 139
Quotidianæ exquiſitę curatio 141
Quotidianę exquiſitæ euidentes cauſæ 140
Quotidianę exquiſitæ ſymptomata atque ſigna 139
Quotidianæ exquiſitæ victus 141
Quotidianæ ſpuriæ cauſæ & ſigna 151
Quotidianę ſpurię curatio Ibidem.
Quotidiana febris quæ 137
Quotidiana ſpuria quæ 151

S. j.

R

REfrigerantia compoſita 8
Refrigerantia ſimplicia 7
Refrigerantium admouẽdorum vſus in cauſo quando minimè tutus 72
Rhabarbarum integrum 91
Ῥιγοπύρετος 155
Rigor quãdoque ſalutaris 260

S

SAccharum 203
Saccharum candũ Ibid.
Sacculus fronti admouendus ad cephalalgiã 186
Sacculus geſtãdus è regione cordis ad quartanam 126
Saluatellæ ſectio in quartana 127
Sanguinis miſsio ad λειποθυμίαν in ſynocho imputri 53
Sanguinis miſſio. Vide Phlebotomia.
Semitertiana exquiſita 168
Semitertiana febris 92, & 168
Simplex febris 165
Sinapiſmus ad ſoporem 199
Singultus cauſę 236
Singultus curatio 237
Singultus quid 236
Sitim ſedantia in cauſo 73
Sitim ſedantia in quãrtanę acceſſionibus 116
Sitis cauſæ 201
Sitis leuandæ ratio Ibid.
Sitis mendoſa 202
Sitis quid 201
Somni conciliandi ratio 189
Somnus initio paroxyſmi nocentiſſimus 141
Somnus poſt phlebotomiã cur noceat 56
Somnus quando concedẽdus in acceſſionibus intermittentium 98
Soporis cauſæ 195
Soporis genera varia 197
Sopor quibus remediis diſcutiatur Ibid.
Spongia frigida ad ſomnũ conciliandum 193
Spuriæ febres 164
Sternutatorium ad ſoporẽ 198
Subintrantes paroxyſmos quæ febres habeant 159
Subuerſio ſtomachi 241
Sudorem cohibentia 263
Sudorem promouentia 262
Sudorificum 74
Suffitus ad fluxionem ſiſtẽdam 261
Suppoſitoria 143
Symptomata febrium 172

Symptomatica febris non eſt compoſita 162
Symptomati curatio vera non debetur 171
Syncopalis febris duplex 157 & 225
Syncopalis febris minutæ cauſa 233
Syncopalis humoroſę cauſa 157
Syncopalis humoroſæ febris curatio 225
Syncopalis humoroſæ & minutæ diſcrimen. 158
Syncopalis minuta ad ſui curationem inanitionē nullam deſiderat. 234
Syncopalis minutæ cauſa 157.
Syncopalis minutæ curatio 234
Syncopalis minutæ ſigna 233
Syncopalis minuta nutritione ſubita & multa curatur 235
Syncope in hectica 39
Syncopes cauſæ. 223
Syncopes curatio 224
Syncopes in febribus ex Gal. curatio. 226
Syncope ſyncopalium febrium quo tempore accidat 158
Synochi imputris curatio 52
Synochi imputtis prognoſticon. Ibid.
Synochi imputris ſigna 51
Synochi nō putridæ cauſæ 52
Synochi putris curatio 58
Synochi putris prognoſticon 57
Synochi putris ſigna 56
Synochus minimè putris de genere ephemerarum febrium 50
Synochus non putris nonnullis inflatiua dicitur Ibid.
Synochus triplex Ibid.
Syrupi ad cauſum 69 & 70
Syrupi admittēdi in quartana continua 80
Syrupi materiam concoquentes in quartana 121
Syrupi materiam expulſioni præparantes in quotidiana continua 88
Syrupi pręparātes in quartana ſpuria 135
Syrupi præparātes in quotidiana 145.
Syrupi ὑπνωτικοὶ 190
Syrupus ad ſitim in cauſo 70
Syrupus de abſinth 246
Syrupus de artemiſia 146
Syrupus de cornis 254.
Syrupus de menta 246.
Syrupus de ribes 254

Syrup' magiſtralis ad quotidianam continuam 89
Syrupus magiſtralis ad quotidianam intermittentem 145
Syrupus melācholicū humorem præparans 121
Syrupus præparās ad quartanām continuam 83
Syrupus purgans ad quartanam ſpuriam 135
Syrupus purgans humorē melancholicum 122

T

Tabella diarrhodon 91
Tepida ingrata ventriculo 251
Tertiana duplex 167
Tertianæ continuę cauſa continens 75
Tertianæ cōtinuæ curatio 76
Tertianæ cōtinuæ & cauſi diſcrimen 75
Tertianæ exquiſitæ peculiaris curatio 98
Tertianæ intermittentis exquiſitæ prognoſticon 95
Tertianæ intermittentis exquiſitę victus ratio 96
Tertianę intermittētis legitimę cauſę 95
Tertianę intermittētis legitimę indicia 94
Tertianę nothę cauſa cōtinens 103
Tertianę nothę curatio 106
Tertianę nothę prognoſticon 104
Tertianę nothę ſigna 103
Tertianę nothę victus ratio 104
Teſtudinatum 35
Theriacę vſus in quotidiana 150
Theriaca recens 190
Theriacā in declinatione quartanę cōcedenda 131
Thermarum vſus in quartana 130
Topica ad conciliandum ſomnum 191
Topica ad ſoporem 198
Topica ad ventriculi affectus cui parti admouenda 21
Topica ad vomitum 252
Topica ad vteri calidā intemperiem 25
Topicorum vſus in ardore ventriculi 21
Trochiſci ad ſingultū 239
Turpethi pręparatio 148
Tuſsi arida in febribus infeſtati ſiti nō multùm torquentur 180
Tuſsis aridę cauſa 179
Tuſsis quibus imminuatur 180
Τυφώδης febris quę 153

Typica

Typica febris 159 224

V

Ventriculi affectus quo modo curandi 22
Ventriculi ardoris curatio 20
Ventriculi ardoris ſigna & cauſę 19
Vētriculo potiſsimùm cōſulendum in curatione quotidianæ 150
Ventriculum roborantia compoſita Ibid
Victus in quartana ſpuria 132
Victus ratio in ventriculi ardore 19
Victus rationis præcepta communia omnium intermittentium 96
Victus ratio proba potiſsima curandæ quartanæ exquiſitæ curatio 110
Vigiliarum cauſæ 189
Vini in ſyncope exhibiti commoda 236
Vinum abſinthites 219
Vinum in ephemera admittitur 46
Vinum in quartana exquiſita neceſſarium 113
Vinum in tertiana exquiſita interdicitur 96
Vinum ὀλιγόφορον ad ſyncopem & lipothymiam 224
Vnctio à balneo ad quartanam 130
Vnctiones ad conciliandū ſomnum 192
Vnctiones ad ſyncopalem minutam 235
Vnctiones hypochondriorum & lumborum in cauſo 71
Vnctiones relaxantes ad tertianam exquiſitam 101
Vnguenta ad alui fluxum 253
Vnguenta ad intemperiem calidam 13, & 14
Vnguentum ad cephalalgiam 185
Vnguenta digerentia 187
Vomitione reiici ſolita varia 243
Vomitui accōmodata victus ratio 250
Vomitus 241 & deinceps.
Vomitus à cibo vtilis in quotidiana 150
Vomitus cauſa 242
Vomitus cohibitio 247
Vomitus initio paroxyſmi quartanæ commendatur 116
Vomitus vomitū curat 247
Vomitus vtilis iu tertiana notha 106

Vteri calidæ intemperiei curatio 24
Vteri calidæ intemperiei ſigna & cauſæ 23
Vterinus clyſter ad vteri calidam intemperiem 25

Y

Ὑπνωτικὰ quæ 189

FINIS.

Oleum sambucinum, voca-
tur vulgo oleum quietis.
Oleum mel [illegible]